DE POTU
VINI CALIDI
DISSERTATIO

AUCTORE

JOHANNE BAPTISTA DAVINI

Sereniſſimi

RAYNALDI I.

Mutinæ, Regii, Mirandulæ, &c. Ducis,

MEDICO.

EDITIO SECUNDA.

ACCESSIT DISSERTATIO

CLARISSIMI VALLISNERII,

CUI TITULUS

Dell'Uſo, e dell'Abuſo

DELLE BEVANDE, E BAGNATURE

CALDE, O FREDDE,

Mutinæ, Typis Antonii Capponi Impr. Ep. 1725.
Superiorum Facultate.

2 Teil 16

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimo, ac Eruditiſſimo Domino

LUDOVICO MURATORI

Bibliothecario Sereniſſimi DUCIS Mutinæ, ac Sanctæ Mariæ Pompoſianæ Præpoſito.

JOANNES BAPTISTA DAVINI.

OBſervatiunculas meas de POTU VINI CALIDI cui potius dedicem, quam tibi, qui me pluries horta-

tus

Digitized by Google

tus es, ne illas perire ſinerem; quaſi aliis profuturas? Negandi pudor excuſſit evulgandi pudorem. Švpereſt, ut nec te conſilii, nec me pœniteat obſequii. Vale.

Mutinæ Kalendis Aprilis 1725.

Diſ-

Digitized by Google

DISSERTATIO
IN POTUM
VINI CALIDI

TAm magna eſt copia medicamentorum, tam parva fælicitas, & fallax uſus, ut non immeritò dubitent aliquando Medici, quid eligant, quid repudient. Plerumque id conſuevit placere, quod ſimillimis malis aliàs ſubveniſſe, aut viderint ipſi, aut ab aliis inter legendum acceperint. Sed, ut ait Hippocrates,[a] *bonis Medicis ſimilitudines pariunt errores*, & ſub eadem humorum tinctura ſæpè diſpar latet genius, ut ipſa parum nobis reſpondeant experimenta. Proſperæ quoque curationes remedio ne, an naturæ tribui debeant, in incerto eſt, ut vel ipſa rei benè geſtæ gloriola non admodum ſit defæcata, & ob exitus haud rarò diverſos non habeat ſolidum fidei pondus laudantis aſ-

a 5. *Epid. ſect.* 5.

ſertio, vel improbantis. Ajebat Heracletus, ex Plutarcho, [a] *neminem bis poſſe deſcendere in eumdem fluvium*. Par eſt fortuna remediorum, quæ raro poteſt bis eumdem ſtomachum, aut ſanguinem reperire.

Inter has artis difficultates, & veluti fluctuationes mihi ſemper eſt ante oculos illud Hippocratis *ſaltem ne noceas*; paucis idcirco remediis utor, iiſque tutis quantum fas eſt, & pompæ nihil habentibus; meque beatiſſimum judico, quoties caſu, vel conſilio in res inciderim, quibus præter innocentiæ prærogativam, inſit domeſticum, & gratum quoddam cum natura commercium. Hujus generis eſt Vinum Calidum, cui commendando ſufficiet hiſtoria geminæ curationis, non in latebris factæ, ſed in publica luce ſplendidiſſimæ Civitatis Mutinæ, atque in oculis Sereniſſimorum ejus Principum.

Torquebat per intervalla, & miſerrimè angebat ſæviſſimus ventriculi, & inteſtinorum dolor Illuſtriſsimum D. Simonem Tamburinum, fratrem Reverendiſsimi Patris Michaelis Angeli, Præpoſiti Generalis Societatis Jeſu, & Conſiliarium Juſtitiæ apud Sereniſsimum Ducem Mutinæ. Domeſticum id illi malum jam a duodecim annis, & ſæpiùs recurrens. Laboraverat antea ſcabie, accurato Medicorum ſtudio ſanata. Ætas ſeptuaginta quatuor annorum; vita, ut plurimum, ſedendo acta, & graviſſimis animi occupationibus exercita; corporis habitus gracilis, actuoſa indoles, & quam dicunt bilioſam. Verno tempore anni 1712. viſa

A eſt

a 1. *Epid. ſect.* 2.

eſt profuiſſe aqua Tectutii, & poſt hanc Nuceriana copiosè hauſta; ſed mox per Autumnum, hyememque acrius exarſit dolor, atque implacabilius, nec aſſuetas dabat inducias. Acceſſit proterva durities alvi, quæ leviora mendicamenta ſpernebat; à fortioribus ſolvebatur quidem, ſed læſa inteſtina pejus hab bant. Noctes interim pœnarum plenæ, quibus ſublevandis clyſterium iterabatur; ſed plus virium demebat, quam doloris. Inter hos cruciatus jam fere continuos per quindecim dies, non ſomno locus, non cibo concoquendo quies, attritæque paulatim vires clariſſimi ſenis, ruinam minabantur. Tentatæ ſunt decoctiones Chinæ, & Salſæ; per quas utilis ſperabatur ad cutim revulſio; ſuus quoque opiatis, oleo amygdalino, fomentis, & aliis ejuſmodi rebus necquicquam uſus fuit. Cum res eſſent ad deſperationem inclinatæ, legiſſemque fortè apud Coſtæum, dolores ventris aliquando ſanatos per uſum Vini Calidi, unum hoc relictum induſtriæ tentamentum proponere ſtatui generoſiſſimo Aegro. Mirum dictu! eadem die, qua primum in prandio uſus eſt Vino Calido, quievit dolor; nox inſequens placida; paulatim ſponte ſua laxata eſt alvus, vires paucis diebus recreatæ, oblitaque penitus malorum ſuorum natura priſtinam alacritatem, vigoremque reſumpſit. Jam ſextus agitur annus, ex quo fruitur optima valetudine. Ejus ætas ingreſſa eſt octogeſimum annum, cumque ſecundo poſt dolorem anno res poſceret, ut fines montium Mutinenſium cum Collegis ſuis inviſeret, equo vectus iter aſperum, longum, præceps magno animo ſuſcepit, atque peregit. Bono publico ſemper addictus

 dies,

Digitized by Google

dies, noctesque graviſſimis ſufficit curis, a quibus tamen adeo præſenti, & hilari animo quandoque abſtrahitur, ut recens videatur ab otio, & ludo veniſſe. Summa illi religio eſt non diſcedere à Vino Calido, ſive prandium adeat, ſive cœnulam, qua utitur tenuiſſima.

Dubium me facit hæc hiſtoria, quid prius mirer, celeritatem curationis, an conſtantiam, an jucunditatem; ſingula enim hæc pulchro nexu ibi ſe miſcent, atque commendant. Prima die, qua Illuſtriſſimus Vir uſus eſt Vino Calido, deſiit dolor; poſt ejus uſum hactenus continuatum, nullo umquam ventris dolore affectus eſt; gratumque adeo illi eſt calidè bibere, ut voluptati bibentium frigidè non concedat. * *Aſclepiades officium eſſe Medici dicit, ut tutò, ut celeriter, ut jucundè cures*. Legi huic æquiſſimæ ſatisfactum eſt præclare per Vinum Calidum, ut non immerito doctorum id hominum conſiderationem, admirationemque depoſcat. Pleraque remedia per moleſtias, & damna proſunt; noſtrum hoc non peſſumdat naturam, antequam ſanet; ſed ſtatim recreat.

Excitatus tam illuſtri experimento, ſpem concepi ferociæ Aſthmatis eodem modo ſubigendæ, curioſum, & novum conſilium eventu approbante.

Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Stephanus Folianus Patritius Mutinenſis, antehac Archipreſbyter Civitatis Carpi, nunc autem Epiſcopus Mutinæ, adhuc juvenis conflictari per intervalla cœpit Aſthmate convulſivo. Mitius primò malum, paulatim gravius redibat, donec vergentibus in ſenium

annis,

* *Celſus l. 3. c. 4.*

annis, atrox, & immane fieret. Horret animus, quoties recogito, quam multas traheret noctes terroris, & deſperationis plenas, intercepto creberrimè ſpiritu, & per ſummam vim hauſto, vel emiſſo, quaſi luctaretur cum morte. Sub ortum ſolis quieſcebat anhelitus, poſt occaſum reverſurus. Tempus Autumni, & Hyemis præſertim infenſum, & denſioribus paroxiſmis infame: cæteram anni partem ſalubriter ferebat. Aſthmatis ſævitia interdum poſt unam hebdomadam, interdum poſt duas, vel tres frangebatur, modico catharro per tuſſim excreto; & non rarò brevis febricula ſuperveniens finem morbo imponebat.

Cùm inter alternos pacatæ valetudinis circuitus, aut inſtar procellæ turbidos, perveniſſet ad ſexageſimum primum ætatis annum, adeo illi erat in promptu difficultas reſpirationis, ut quoties in lecto decumberet, in illam incidens opprimeretur. Noctes itaque coactus eſt ducere ſtans, aut ſedens ſine lecti uſu, eoque incommodo per plures menſes continuato adeo auxerat nativam gracilitatem, ut major eſſet metus tabis, quam fiducia ſalutis redintegrandæ. Inſtabat inſuper Autumnus, qui formidatos anhelitus referre conſueverat; nec vires debilitatæ, fractumque corpuſculum novæ tempeſtati ferendæ par eſſe poterat. Inter hæc obrepebat tuſſicula, rariùs quidem, ſed tamen imbecillitatis pulmonum, & cubantis circa ipſos irritamenti veſtigium.

Sanctitas in eo morum, læta frontis gravitas, ſumma prudentia ſuavitati permixta, devinciebat omnium animos, ut Carpi Civitas, & Mutinæ mirifico

Digitized by Google

rifico erga ipſum cultu, & amore certarent; cumque Antiſtes Mutinæ multo ſenio, nec minus morbo confectus eſſet, unus omnium conſenſus, & Sereniſſimi Ducis, & populi, majores ipſi deſtinaverat Patriæ infulas. Sed afflicta valetudo æquiſſimis deſideriis obſtabat: quomodo enim poſſet Romam proficiſci? quomodo magnum regimen ſuſtinere, cui vita in ancipiti eſſet, aut etiamſi protraheretur, majorem anni partem in cubiculo ageret?

In hoc publico deſiderantium æſtu, & metuentium, ego inviſens Carpenſem Præſulem, ſupplex rogavi, ut biberet Vinum Calidum in prandio, & cœna: cetera remedia jam uſu invalida, vel parum proſpera chylificationi, cujus vitio jam corpus vergebat in tabem. Ille frigido potui aſſuetus, primò averſari, dein fortiter amplecti conſilium meum; cumque in dies meliuſcule ageret, uſu gratiam, & fiduciam conciliante, perpetuam ſibi ſtatuit bibendi Calidè conſuetudinem.

Vetuſtiſſima in illum habebat Autumnus nocendi jura; ſed ſævior Hyemi vis, ut ferè totam per anhelitus ageret. Poſt uſum Vini Calidi proximus Autumnus, & Hyems, lætiſſimo quodam prodigii genere fluxerunt ſine noxa, ſtupente ipſo Ægro, nullum adeſſe Aſthmatis inſultum, & inuſitati boni ſcaturiginem à Vino Calido derivante.

Antiſtite interim Mutinenſi defuncto, ipſe deſignatus hujus Urbis Epiſcopus brumali tempore Romam petiit, iteneris per ventos, niveſque facti felicitatem unice tribuens tutelæ Vini Calidi. Mirata eſt Aula Romana, & ipſe ſummus Pontifex proſperam ejus valetudinem; nec enim ignorabant,

æru-

ærumnis prope inextricabilibus eſſe implicitam. Aerem Romanum ſæpe pravis halitibus, & ventis gravem inoffenſus pertulit per tres menſes, parique incolumitate ad nos reverſus, & magno animi robore curas implet Epiſcopatus, & eodem remedio tuetur ſanitatem, quo divinitus recuperavit.

[a] *Morbos veteres, & diu auctos niſi per dura & aſpera coerceas*, inquit Tacitus. Sed mihi leniſſimum remedium tentanti vetuſta mala ceſſerunt: quid enim lenius Vino Calido? Dicebat quidam apud Plutarchum, [b] *ſi ſemper calerent manus, neque ſinerentur frigere, non leviter hoc ad ſanitatem conducere.* Quam melius dixiſſet, ſi ſemper caleret ſtomachus, neque ſineretur frigere? Varia ſiquidem incurſatio rerum calentium, & frigidarum diſſonis ictibus ſtomachum quatiens, cum modò attollat ferventem cibum, modò ſubſidere faciat, modò relaxet denſa, modò laxata condenſet, majorem profectò importat naturæ laborem, & difficilius reddit negotium coctionis, ritu cujuſdam tempeſtatis, quæ hac illac impulſam naviculam deturbat a curſu ſuo.

Cum ſanaverit ſtatim dolorem ſtomachi, videtur Vinum Calidum exerere præcipuam vim ſuam in ejus viſceris utilitatem; cum verò diuturno uſu tum inhibuerit recidivam doloris, tum Orthophnoeam extirparit, fas eſt opinari, non diſſolvendis tantummodo flatibus, & abſtergendo favere ſtomacho, ſed etiam Chyloſi emendandæ ac perficiendæ vehementer conferre. Ubi enim proba ſit coctio, non ſuppetit ulterius materia mordendis nervis idonea, nec congeruntur, aut exaltantur morboſæ

a *Annal. l. 3.* b *De tuend. Sanit.*

boſæ particulæ, per quas membranæ ſtomachi, aut pectoris muſculi poſſint convelli.

Subrepunt adeò tacitè vitia coctionis, ut vix intelligi queant, niſi poſtquam in morbum eruperint. Orthophnœa repente opprimit, ſed paulatim adolevit, culpa chyli diu latente, donec collectione, ac mora deterior evaſerit. Cladem hanc occulte gliſcentem fortaſſe prevertat Vinum Calidum, adjungens coctioni momentum roboris, quod deerat; utque ager diligenti excultus villici manu dediſcit filicem parere, ita chylus quotidiana Vini Calidi ope adjutus, ab agreſti, quam redolet, natura in mitiorem tranſibit, atque puriorem: quod re ipſa vidimus in memoratis ſuperius exemplis.

Multa eſt ſeges medicamentorum dicata ſtomacho; ſed præter moleſtiam inviſi ſaporis, quam ſæpe viſceri affricant repugnanti, plus habent promiſſorum, & ſpei, quam fructus. Coccolata ipſa, licèt merificè nos afficiat, & oblectet, cum tamen multis obtundat famem, quæ acies eſt digeſtionis, videtur fermentum ventriculi potius implicare, atque involvere, quam acuere, nullumque hactenus obſervavi per ſuccum hunc Mexicanum melius concoquere, quam conſueverit. Inſita naturæ imbecillitas in concoquendo, perpetuum, & quotidianum poſcit auxilium, quod nec odore ſit aſperum, nec ſapore, nec blandimentis infidum. Cum interim Coccolatæ, niſi guſtetur præcalida, multum decedat venuſtatis, energiæ, ſalubritatis: cur hinc ſaltem non diſcimus, amiciores eſſe naturæ noſtræ potus Calidos, quam frigidos, & vim ipſam potus calore agitatam explicare ſe uberius, amplioremque

fieri

fieri, ac validiorem? [a] *Diligentia victus*, ajebat Plato, *gubernandi ſunt morbi*; ſapienterque Aſclepiades, *cum omnia fere medicamenta ſtomachum lædant, maliqueſucci ſint, ad ipſius victus rationem omnem curam ſuam tranſtulit*, ut refert Celſus. [b] Quam magna verò victus pars eſt Vinum ipſum, poſcenti ſtomacho Calidè adminiſtratum?

Cetera remedia vacuo ſtomacho ſumi ut plurimum ſolent; ideſt antecedunt chylificationem, non adjuvant. Præſenti cibo Vinum Calidum inſinuatur; operam ſuam cum fermento diſſolvente conſociat; vires ſtomachi, & particulas activas exaltat, & adjuvat; ſi quid in cibo, aut ſuccis ſtomacho impactis tenacius eſt, emollit, atque perrumpit, ut laboranti naturæ multiplici proſit benignitate, nec minus ipſum ſit pars alimenti, atque vehiculum, quam caſtigatio, & medela.

Quam rarum præterea eſt in re familiari, & gratiſſima ſtomacho remedium inveniſſe? Nec infuſcatur gratia Vini adjuncto calore, ſed augeſcit energia, & volatilitas, per quam ſanguis, & ſpiritus ſtomacho circumfuſi alacrius moventur, & chyli elaborationi acriorem operam navant. [c] *Imbecillis ſtomacho*, inquit Celſus, *quo in numero magna pars urbanorum, omneſque penè cupidi literarum ſunt, obſervatio major neceſſaria eſt, ut quod vel corporis, vel loci, vel ſtudii ratio detrabit, cura reſtituat*. Ita Romanus Hippocrates. Hæc autem cura facillimè peti poteſt a Vino Calido.

Intellexit primus omnium Hippocrates Vini calore crudum ſtomachum emendari; ſed a mitiſſima,

B quam

a *in Timæo.* b *lib. 5. in Præfat.* c *lib. 1. cap. 2.*

quam laudamus, bibendi lege in acriorem deflexit, proponens Vinum meracum non actu, ſed poteſtate calidum. [a] Tale autem eſt ex Cardano malvaticum, & alia vehementiſſima Vina, quæ in regione Hippocratis, aut non procul naſcebantur. Quis autem neſcit in quotidianum uſum hæc ſine noxa duci non poſſe? Itaque Vina noſtra, quæ turgent moderatis ſpiritibus, cum non faciant vim naturæ, nec indolem habeant acrem, atque inflammantem, ſuavius & tutius proderunt, ſi actualis frigoris præjudicium detraxeris. Verba autem Divini ſenis hæc ſunt. [b] *Quicumque cibi aut flatum, aut æſtum, aut morſum, aut repletionem, aut tormen faciunt: a talibus liberat Vinum meracum inſuper potatum; corpus enim a Vino calefactum, per calorem amovet ea, quæ inſunt a cibis, & potibus, ac ſimilibus.*

Digeſtio ventriculi triplici videtur inſtrumento peragi; ſucco ſcilicet illac exſudante ab oſculis glandularum. Secundò impulſu fibrarum, & viſcerum circumprementium. Tertiò fotu caloris in animalibus calidis. Quanti autem tertia hæc conditio ſit ponderis ad humanam coctionem, moleſtum eſſet inquirere, cum & Medici omnium ſeculorum, & experientia ipſa conſentiant in aſſerenda caloris vel utilitate, vel neceſſitate. Torpet nimirum ſuccus fermentativus, torpent fibræ motrices, languidius fiunt partium ſolidarum alliſiones, niſi calor hæc omnia excitaverit, & veluti actuarit. Quemadmodum enim plantarum ſemina evolvuntur de involucris ſuis aſpiratione caloris; folia, & fructus facillime proveniunt eo fovente, contabeſcunt ſubtra-

tra-

a *in Hipp. Aph. ſect. 7. aph. 43.*

b *de affectum n. 42.*

tracto: Ita videtur noſtri corporis œconomia ex caloris afflatu, & agitatione præſertim pendere. Quis umquam putaſſet tam levi apud ignem alteratione concepta potuiſſe Vinum tam proterva mala ſubigere? Nimirum ambitioſe magis, quam utiliter imus per omnes rerum latebras ad conquirenda remedia, quæ ſæpe in manibus noſtris ſunt, & ut ex Democrito notat Cicero

[a] *Quod eſt ante pedes nemo ſpectat,*
Cœli ſcrutantur plagas.

Quam blande potus calefactus afficiat Stomachi fibras, & ſalubri titillatione demulceat irritatas vel recolligat laxas, conjectare licet ex Arethæo ſanante vomitum. [b] *Si omnia* inquit, *evomit, & Stomachus nihil retinet, ad calidas potiones, & cibaria recurrendum; nonnullis enim hæc mutatio vomitionem compeſcit; calida verò calidiſſima ſunto*. Ita ille. Subit hìc mirari, cur Medici tonum ſuum Stomacho reddituri, errent per tam varia pharmaca, & tam facilem potus Calidi medelam negligant, cum inter practicos noſtrorum temporum vix ulla ejus ſit mentio.

Feliciter Galenus, & pro judicii ſui dexteritate cuidam ſervo habenti Stomachum imbecillum præbuit Vinum aqua Calida temperatum, in cujus conſilii laudem ita ſcripſit Joannes Baptiſta Silvaticus. [c] *Calida Vinum diluit, ut excalefactum ab ea Vinum faciliùs mutaretur, ac celerius: ad nutritionem enim requiritur cibi concoctio, cujus primus gradus eſt illius excalefactio. Quare ſi frigida Vinum Galenus diluiſſet, tardius illud ventriculus concoquiſſet, & ventriculo im-*

 becilli

[a] 2, de Divinat; [b] de curat, acut. morb. l. 2. c. 3. [c] hiſt. 49.

becilli exiſtenti frigiditas potus nocuiſſet.

[a] *Ad faciliorem nutritionem partium nil niſi calidum bibatur*, inquit Baconus. Et paulo poſt. *Senes nonnulli caniculas (Animalia ſcilicet inter calidiſſima) Stomacho noctu applicare conſueverunt*. Ita ille. Putarim tamen irriganti viſcera Vino Calido non eſſe opus ad externa ejuſmodi adjumenta confugere; ſanguis enim vetulus ex eo recaleſcens, & coctioni gratiam conciliat, & ſomno.

[b] *Narratur & Priſci Catonis*
Sæpe mero caluiſſe virtus.

Ille autem non actu calidum, ut puto, bibebat, ſed copioſum nimis, aut validum; nos autem Vinum calefactum modice bibentes utili calore fruemur ſine macula intemperantiæ.

Jubebat laudatus Baconus, ut ad ſollicitandam chyli confectionem, *Pulli vel Phaſiani prius in aqua cocti, poſtea in muſto ferveſcente infunderentur*. Sed præſtat integro Vini Calidi robore intra Stomachum cibos imbuere, quam vaneſcente per prævium in aperto aere fervorem.

Antequam diſcedam ab hoc ſapientiſſimo Viro, & in rebus penſitandis, quæ vitam tuentur, & prorogant, diligentiſſimo, lubet aliam ejus animadverſionem ſubnectere. *Miramur*, inquit, *quomodo illud Calidum bibere, quod apud antiquos in uſu fuit, in deſuetudinem abierit*. Et paulo poſt: *Omnino utile arbitramur primam potionem ſive Vini, ſive Cereviſiæ, ſive potus alterius, cui quis aſſuevit, in cœna ſemper calidam bibere*. Sed cur in cœna tantùm, nec tota? Ego autem experientia doctus ſum, nec robuſtum Stomachum

chum

[a] *Hiſtor. vit, & mort.* [b] *Horat.*

chum Vino Calido indigere, nec imbecillum a potu calido ad frigidum tutò tranſire; quemadmodum enim, qui tenui valetudine utuntur, ægre ferunt ventorum inæqualitates, ita & potionum. Videmus interim, agnoviſſe tantum Philoſophum præſtantiam Vini Calidi; caruit tamen experimentis; nec enim tractabat cauſam ægrorum, ſed quo pacto ſanorum hominum vita fieri poſſet longęva, intentis ſtudiis agitabat.

Miratus ſum cautam diligentiam Aetii in ſanandis oculis inflammatis per Vini potum. [a] *Miſcere igitur*, inquit, *Vinum oportet Aqua Calida non multa. Sit etiam meracius, quam pro conſueta temperatura. Sit & aqua, quæ adjicitur, puriſſima, & fumi, ac odoris expers, & valde fervida, quo etiam ſe ipſa tenvior evadet, & ſufficiat ad amplioris Vini temperaturam* Hæc Aetius, ex cujus peritiſſimi, & vetuſtiſſimi Viri conſilio multa videntur emanare documenta.

Primum, & præcipuum eſt, ne Vinum bibatur frigidè, ſed Aqua valde fervida calefactum.

Secundum, ne Vinum ſit fortius, aut debilius quam bibentis ferat conſuetudo; ſed eligatur paulò meracius, & generoſius, ut mixtione aquæ calidæ deſcendat ad conſuetam temperaturam.

Docet tertio, Aquam fervidam ſe ipſa fieri tenviorem: quæ prærogativa Vino quoque poteſt competere, aut per aquam calefacto, aut per ignem; nec dubito, quin major iſta tenuitas tum coctioni, tum ſecretionibus ſubſecuturis momentum aliquod addat celeritatis.

Diſci

a *Tetrab. 2. Sermon. 3. cap. 2.*

Digitized by Google

Diſci poteſt quarto, Vina noſtra Mutinenſia, cum nondum a vinaceis extracta, cum aqua efferbuerint, non indigere in Cyathis Aqua fervida, ut frangantur, & calefiant, ſed ſatis eſſe, ſi apud ignem prius incaleſcant.

Cum ultimo pateat ex Aetii ſententia, Vini Calidi potu oculos ab inflammatione liberari, videtur etiam ceteras corporis partes, concreſcentibus ſuccis gravatas, aut vellicatas, diuturno uſu Vini Calidi poſſe ſanari; nec enim delectum partis laborantis habet Vinum Calidum, ſed afficiens chylum & ſanguinem, quacumque invexit circulatio, ſuas vires imprimit.

Doctiſſimus Medicus Genuæ in opuſculo de ſanitate tuenda hæc habet. [a] *Il bever caldo fortifica il calor naturale, ſveglia gli ſpiriti, ſoſtiene le coſe nel loro ſtato naturale, apre le oſtruzioni, dilegua i flati, ſoccorre a i morbi, che naſcono da umori freddi.*

Inter alia notari merentur illa verba: *ſoſtiene le coſe nel loro ſtato naturale*. Cum enim vita noſtra vel ſita ſit in calido, vel non ſubſiſtat ſine calore, cum tranquilla quædam ignea vis in ſanguine diffundatur, & totam actuet machinam: ratio exigit ſanitatis, ut vivida hæc rerum indoles in ſuo æquabili tenore foveatur potius, & conſervetur, quàm deprimatur, & concidat. Calet moderatè Stomachus, calent cetera viſcera, calent rivuli circumfuſi: quæ igitur ſapientia eſt naturalem iſtam temperiem, ubi a mediocritate non exeat, velle pervertere? Si nobis Aqua frigida extrinſecus illabatur, ſtatim horreſcimus, & corrugamur; partes verò inti-

a *Bartolomeo Paſchetti Nobile Veroneſe; In Genova 1602.*

intimiores, cum ab ipſo naſcendi primordio habitent in calido, & ob id rariorem texturam habeant, atque molliorem, quomodo ferre poterunt ſine noxa occurſum frigidi? Quomodo Stomachus, quem primò impetit vis ea hoſtilis, non fiet quotidie pronior in cruditatem, ubi præſertim nativam habeat, vel aſcititiam coctionis inertiam?

Quamvis autem magni Viri hactenus nominati egregie ſenſiſſe videantur de Vino Calido, dolorem tamen Stomachi pervetuſtum, & ſenili corpuſculo jam minantem extrema, ejus uſu momento temporis eſſe ſanatum, & aſthma conquieviſſe per quadraginta graſſatum annos, ac de radicibus ſuis evulſum eſſe, ſingulari quadam, & nova non caret laude, vixque ullum relinquit ad eam rem ceteris remediis jactantiæ locum.

Monendum tamen eſt, victus ratione admodum temperata uti oportere, ut Vini Calidi uſus reſpondeat expectationi. Secundò Vinum ex Uvis maturis expreſſum eſſe adhibendum, quod nec durum ſit, nec indomitum, nec aquoſum nimis, ſed leniter generoſum, quodque blandè Stomacho adaptetur, & facili, ac molli lapſu ſubeat urinæ vias. Hujus generis proventum feliciſſimum nos habemus in agro Mutinenſi, præcipuè prope Scultennam, & Gabellum, poſtquam a collibus in planitiem deſcenderint. Nec Vinum tepeſcere ſolum debet, ſed uſque ad eum gradum calefieri, qui commode ferri poſſit; potus enim tepidus aut ſubvertit, aut debilitat Stomachum; roborat calidus.

Si coloris quoque rationem aliquam habere velimus, præſtat nigrum eſſe, quam album; experien-

perentia enim apud nos manifeſta eſt, plus roboris Vino nigro ineſſe, ſive ad firmandas Stomachi fibras ſive ad conciliandam ſpiritibus fortiorem texturam. Nec ubertim nimis bibendum eſt, ſed pro Stomachi modulo, atque indigentia; nec enim híc conſulimus voluptati, ſed valetudini.

Perpetua quoque bibendi calidè conſuetudo mirificè prodeſt ad partam valetudinem conſervandam, omnemque mali, fortaſſe iterum naſcituri, germinationem cohibet, atque diſſolvit. Veram hìc reperi Cornelii Celſi admonitionem, quæ ſic habet: [a] *Illud quoque in omnibus Stomachi vitiis præcipiendum, ut quo modo ſe quiſque æger refecerit, eo ut ſanus utatur; nam redit huic imbecillitas ſua, niſi iisdem defendatur bona valetudo, quibus reddita eſt.*

Cum didicerim commoda Vini Calidi a Joanne Coſtæo, in Liceo Bononienſi olim Medicinæ Profeſſore, nunc ipſa ejus verba æquum eſt hìc tranſcribi. [b] *Non infrequens,* inquit, *eſt obſervatio eorum, qui cum ventris flatibus, doloribuſque ob malam coctionem perpetuò torquerentur, ubi Calido Vini potu uti cœpere, omni prorſum ejuſcemodi moleſtia ſoluti, meliorem multos jam annos vitam vivunt.*

Hactenus Coſtæus, qui mihi fuit oraculi loco. Quam pulchrum enim eſt, quam ſolidum monſtrare remedia, non ex hominum cerebro inter opinionum fluctus enata, ſed veluti dictante natura, ex ipſa deſumpta obſervatione? Ut olim a ſcabie per Mercurium ſanata, proceſſit ars ad curandum eodem modo morbum Gallicum, ita ego in animum induxi meum Vino Calido, cui vis ineſſet attriti Sto-

a *lib. 4. c. 5.* b *De potu in Morb. lib. 1. cap. 5.*

Digitized by Google

Stomachi recreandi, poſſe ſubveniri nonnullis aliis ægritudinibus. Nimirum ut navigantes a noto mari ad ignotum aliquando progreſſi ſunt non ſine praeclara utilitate, ita nobis fas eſt tutelam vitæ meditantibus ab uno malo jam ſubacto ad aliud vicinum ſubigendum remedia extendere, illa præſertim, quæ ſunt ſine noxa.

Sancte affirmo, me Nobilem Matronam annis gravem, quæ per Autumnum, & Hyemem anguſtia pectoris laborabat, injuncto uſu Vini Calidi, ab ea preſſione relevaſſe. Ante hoc præſidium utebatur phlebotomia, & multis therebintinæ bolis, uti mos eſt; ſed modicum ex iis adjumentum, non ſine tœdio, & Virium, ac Stomachi damno. Nobilis item Clericus Mutinenſis mihi nuper in via gratias egit, quod, me proponente, bibens Vinum Calidum, a difficultate reſpirandi ſit liberatus: Famula quædam mea non parum annoſa, cum vix ſcalas aſcendere poſſet propter anhelitum, & ægrè vitam traheret, poſt Vinum Calidum jam illi aſſiduum viſa eſt refloruiſſe, adeo agilis evaſit, & laborum patiens.

Per multas jam familias Eſtenſis Ditionis obrepſit mos iſte bibendi Calidè; ſuaque utilitate defenſus, & commendatus, torvè intuentibus Pharmacopolis, remedia pixidum auratarum viliora jam facit.

Religioſus Ordinis Cappuccinorum ex deſtillatione, ut plurimum ſalſa, in maciem deductus & ſalutis jam penitus profligatæ, cum innumera variorum Medicorum remedia in vanum ceciderint, uſu Vini Calidi nuper, me Auctore, in ſalubrem

 cor-

Digitized by Google

corporis habitum eſt reſtitutus.

Natura ne duce, an doctrina, Sinarum populi calidè bibant, ignoro; & gens non inculta vix a multis ſeculis ei adhæreſceret conſuetudini, niſi ſalubritas commendaret. Audiamus Gemellum ita de illis referentem. [a] *Sia poi di Verno, o di State, bevono ſempre caldiſſimo; e quindi credeſi, che provenga il non ſaperſi colà pure il nome di certe penoſiſſime Malattie, che tanto abbondano in Europa, e naſcono da molti umori indigeſti, e fiacchezze di Stomaco, come altresì il goderviſi una robuſta ſalute ſino a ſettanta, a gli ottanta, ed anche a i cento anni.*

Sed nolo progredi longius, ne notitiam ab ipſis pulchrè manantem experimentis, umbra commaculet oſtentationis; habet quippe locum & in re Medica illud Tullii dictum: [b] *Prudentia hominibus grata eſt, lingua ſuſpecta.*

Mus-

a *Giro del Mondo part. 4. l. 2. cap. 1*   b *In Oratore.*

Illuſtriſſimo, & Celeberrimo Viro

LUDOVICO ANTONIO
MURATORI

MOnuiſti, Ludovice humaniſſime, ut curationem inuſitatam Patris Cappuccini pleniùs narrarem Faciam quod mones; evocabo rem totam de ejus cellula, & te apertiùs cognoſcente,

Honos erit huic quoque pomo.

Reverendus iſte Pater, cui Patria eſt Parma, Carolus nomen, a tribus annis aſſidua deſtillatione ad pectus, ſalſa ſæpiùs, aliquando inſipida, male adeo afficiebatur, ut videretur totus in illam colliqueſcere. Annos natus circiter triginta, temperamento erat ſubmelancholicus, & Studiis deditus; ſed urgente protervia mali, omnem ſenſim amiſerat ſcribendi, aut legendi facultatem. Non fundere in Choro, non audire poterat præcantium voces, non animo imbecillo pium aliquid meditari. Noctem ſomno vacuam, dies ducebat mœrore obrutos. Si maciem conſiderares, videbatur penitus exaruiſse; ſi ſputi copiam per tuſſim rejecti, plurimo humore inundatum dixiſses.

A doctiſſimis Medicis Parmenſibus, & Placentinis decocto ſalſæ, chinæ, ſantalorum prolixè tractatus, cum exacto vivendi regimine, nihil profecerat. Purgationes, uſus chalybis, diæta lactea, juſcula, & ſucci dulcificantes, uno verbo, quicquid hactenus expertus eſt multiplicis, & accuratæ medicationis, videbatur damnum attuliſse potius, quam fructum. Deductus demum ad Cœnobium

Mutinenſe, cum quamdam ambulantis cadaveris ſpeciem præferret, & poſceret a me opem Medicam, nihil auſus ſum illi præſcribere, præter omnem a remediis vacationem, & victum malo accommodatum. Sed cum poſt aliquot hebdomadas nihil ab ea quiete inſtauratus, flagitaret ardentius medicamenta, ne humanitatis, & pietatis officio deeſſem, conſului, ut per integrum menſem biberet in Menſa Vinum Calidum; eo tempore tranſacto, me nova cogitaturum auxilia pollicitus; videbatur enim tam facile, atque indoctum conſilium contemptui habere. Poſt menſem venit ad me paululùm renutritus, & deſtillatione minus infeſta. Non magno propterea opus fuit hortamento, ut induceretur eumdem tota Hyeme proſequi bibendi ritum. Sub veris adventum plenior jam factus, & coloratior, adhuc tamen imbecillitate capitis laborabat, ut nondum poſſet ad priſtina ſtudia mentem intendere. Creſcente tamen in dies, & magis ſolidato robore nutritionis, ipſi etiam ſpiritus animales ad vigorem, & concentum ſuum, paulatim ſunt revocati: ſpatio ſcilicet novem circiter menſium ab initio Vini Calidi, adeo perfectè convaluit hìc Religioſus, ut & ſacras poſſit parare Conciones, & memoriæ mandare, habendas ad Populum proxima Quadrageſima. Fatebor ſimplicitatem meam: cum duos ejus ordinis Viros heſterna die obvios habuiſſem, quorum unus erat is, de quo ſermo eſt, tamquam ignotum ſalutavi; ille autem intelligens errorem meum: Non me, inquit, agnoſcis Vini Calidi alumnum? Adeo nimirum mutatus eſt, adeo in lætam, & ſucculentam ſpeciem

eva-

evaſit, qui paucos ante menſes inſanabilis videbatur, & proxime moriturus.

Vileſcet, ut puto, apud Eruditos Profeſſores Plebeja hæc, & obvia nimis medendi ſimplicitas; pertinent enim ad dignitatem Artis recondita pharmaca, & multo ſtudio, ac pretio comparata. Sed ſinant me res magnificas, atque arcanas relinquere majoribus Medicis. Æquo feram animo carere gloria Vini Calidi hauſtulos, dum felicitate non careant. Vale.

Idibus Januar. 1719.

Digitized by Google

Illuſtriſſimo, & Clariſſimo Domino

ANTONIO VALLISNERIO

In Patavina Univerſitate Primario Medicinæ Profeſſori, & Nepoti ſuo, Jo: Baptiſta Davini.

S. D.

Audio te injunxiſſe Potum Vini Calidi Reverendiſſimo Viro P. Abbati Bacchino; nec dubito, quin ejus Stomachus ſtudiis attritus hoc præſidio poſſit revaleſcere, ſpem ſolidam facientibus experimentis, quæ Mutinæ contigerunt ſecundiſſima. Magnum interim decus hujus potionis, unicè ſelectam fuiſſe ad ſanandum Celeberrimum Virum, in ea præſertim Academia, quæ ſapientia medendi, & remediorum concinnitate antecellit ceteras Utinam nobis minus diſplicerent doctrinæ veterum Medicorum. Sciremus quanti æſtimaret Galenus potionem Calidam *Ac ſiquidem*, inquit, *æſtas ſit, & regio naturaliter calens, & æſtuans, aut Status Cœli vehementer calidus, cum Frigida Vinum dabis; ſi nihil ejuſmodi, cum Calida Quæ tamen ſecundò, & tertiò dabitur potio, omnino Calidam exhibendam eſſe curabis; quippe ad univerſam eam curationem, cujus gratia frictiones adhibuimus, Calidum præſtat, utpote crudorum ſuccorum concoctionem adjuvans.*

Perſpicuè hinc patet, quam rigidus eſſet maximus hic Medicus in potu Frigido concedendo, quam

a *14. Matth. med. cap. 3.*

quam timidus. Semel illum indulget in ſummo æſtu; & cito ſe corrigens, ſecundam præbet, tertiamque potionem omnino Calidam, nulla ratione habita Cœli æſtuantis. Addit cauſam conſilii ſui, dignam profectò, quæ ſit ante oculos omnium Medicorum. *Calidum præſtat, utpote crudorum ſuccorum concoctionem adjuvans*. Quem enim invenies parum firma valetudine utentem, qui crudus non ſit, Quemadmodum autem frictiones a Galeno adhibitæ, crudo ſanguini per habitum corporis ægrè circulanti motum, tenuitatem, calorem imprimunt, ita pari beneficio potus Calidus in viſcera illapſus attritionem ſuccorum, curſumque ſollicitat.

Reſperſiſti, mi Nepos, novis luminibus hiſtoriam naturæ; ſed non minor tibi cura ſalutis hominum, excitata vetuſta methodo bibendi Calidè, quam oblivio deleverat. Noſter quoque Illuſtriſſimus Ludovicus Muratori Calidum amplexus eſt bibendi modum mira quadam cum Reverendiſſimo Abbate Bacchino judicii conſenſione. Hiſce autem duobus graviſſimis, & eruditiſſimis Viris poſcentibus a Vino Calido bonam valetudinem, incipient extimeſcere delicias ſuas, qui, ut ait Atheneus,[a] bibunt hyemem in cratere, callumque interioribus obducunt æſtiva nive, ut judicat Seneca.[b]

Dicam fortaſſe ambitioſus, quam deceat Avunculum tuum, ſed tamen verè. Viſus es non æmulari Galenum, ſed vincere, dum ille primum poculum conceſſit Frigidum; tu ab omni cavens injuria ſtomachi, ſemper Calidum conſuluiſti.

Qui

a *lib.* 11. *c.* 21. b *Epiſt. l.* 15.

Qui verò primi apud nos felici exemplo nobilitarunt Vinum Calidum, & extra omnem calumniam poſuerunt, adnotati mihi ſunt paucis obſervatiunculis, quas ad te mitto, ut clariores facias ingenio, & calamo tuo.

Memoria tamen tenendum, neceſſariam eſſe rectam, & cautam reliqui victus rationem, tum etiam moderatam corporis exercitationem, ut Vini Calidi utilitas certior appareat. Nec decedendum a Potu Calido etiam poſt redditam Stomacho ſanitatem, ne rurſus digeſtio concidat. Vale.

Mutinæ Kalen. Martii 1720.

Illu-

Digitized by Google

Doctiſſimo, & Celeberrimo Viro

LUDOVICO ANTONIO MURATORI

INcitaſti me, Amicorum decus, quotidiano penè convicio, ut ſi neſcirem probabilia dicere, ſaltem aliquid nugarer de hoc problemate. Cur ſcilicet Epiſcopus Mutinenſis, & Conſiliarius Tamburinus, dum frigide biberent, ægritudini ſuæ tamquam luto infixi jacuerint; poſtquam verò cœperint bibere Vinum Calidum, ſani ſint facti Peccabo igitur verecundia negandi, & in mea culpa tibi ignoſces.

Ambigere licet, an calor, qui a motu oritur vitalium ſuccorum, plus ipſis beneficii conferat, quam acceperit. Deſerit nos calor, ſi ceſſarit agitatio, & curſus ſanguinis; ceſſat ſanguinis agitatio, niſi calore foveatur. Eadem nobis ad conſervandam vitam caloris utilitas, quæ fuit ad inchoandam. Si frigus affecerit veſiculam in ovo pulſantem, rarius primò pulſat, mox veluti extincta moveri deſinit: ubi lenem calorem, admoveris, reviviſcit, & repetit motus ſuos.[a] *Uſque adeo* (inquit Clariſſimus Thruſton) *in noſtra poteſtate eſt miſellam illam animam vel morti tradere, vel in vitam revocare*.

Ambulationes, geſtationes, aliæque lenes exercitationes mirifice conferunt tuendæ valetudini, quod calorem intus languentem exſuſcitent, &, ut ait Eruditiſſimus Mercurialis,[b] cujuſdam venti ad inſtar accendant. Ut enim Chymici nunc parvo igne, nunc aucto regunt, & temperant opificia ſua,

a *Diatrib. de reſpir.* b *De art. Gymn. lib. 4. c. 8.*

Digitized by Google

ita natura, quam Medicus intueri debet, ac imitari, quibuſdam caloris gradibus utitur ad vitam gubernandam.

Ubi calor in fluidis noſtri corporis eſt ſemiobrutus, nec ſatis emergit, ſentimus alligari Oeconomiam animalem peregrino torpore; nec ſanè natura ingenuiſſet nobis ſanguinem miris modis perpetuo incaleſcentem, niſi ex ea caloris emanatione magni quidam uſus depromerentur, & egregia functionum adjumenta. [a] *Ventriculus*, inquit Valleſius, *quanto frigidior ſit, tantò minus commutat cibos; crura quanto frigidiora ſunt, tanto pigrius ingrediuntur*. Quid igitur mirum, menſtruo Stomachi effœto, & ſeneſcenti plus prodeſſe Calidum Vinum, quàm frigidum? Primò enim fas eſt opinari, vetuſtam lympham in ventriculi tunicis repertam, & fermenti aculeos implicantem, per Vinum Calidum extenuari, abſtergi, liquari, ut tum particulæ activæ in ejus ſinu irretitæ agendi recuperent libertatem, tum ipſa fluxibilior facta deturbetur in inteſtina, & vias ſuas.

Secundò ſalinæ Vini particulæ, ſulphureæ, ſpirituoſæ jam in motum concitę majorem impetum conciliant Stomachi fluidis, quam ſi eſsent a frigore ſedatiores.

Tertiò notum eſt, balneo calido laxari poros cutis, obſtrui frigido. Eadem ratione potus Calidus, dum in cibum, & Stomachi membranas illabitur, meatulos adaperiet tum ciborum, tum membranarum, ut illi promptius a ſuis nexibus reſolvantur, hæ uberiores ad Stomachum emittant halitus

a *Controverſ. lib. 5. c. 3.*

litus coctioni faventes. Fibras etiam, & poros canaliculorum ventriculo inerrantium diſtortos, aut contractos blandè relaxat, ut ſucci in proximis locis ſecernendi, aut circulantes, tamquam demptis habenis liberè fluant, & æquabiliter, non ſine ingenti coctionis commodo. Si fomento calido extrinſecus poſito recreatur interdum Stomachus, quam melius id fiet a Vino Calido interius admiſſo? Apertior inſuper eſt vivifica Vini poteſtas, & accommodatior emiſſioni effluviorum ſuorum, quę hac illac evibrata, & volitantia copioſe, ac celerrimè naturam refovent. Frigida ejus potio Stomacho infuſa vix aut ipſa coqui poteſt, aut coctioni aliorum ciborum favere, niſi prius incaluerit: quę res debili Stomacho non parvi eſt laboris, ubi pręſertim diſpenſati a ſanguine minus vivido igniculi remiſſiùs ſe gerunt. Liberata itaque natura ventriculi a moleſtia, & labore Vinum ingeſtum calefaciendi, quam promptius incumbet ciborum coctioni, quàm fortius omnem vim ſuam in univerſa maſſa elaboranda poterit applicare? Primum ſcilicet ad coctionem gradum jam in Vino emenſa eſt, qui videtur in calefactione conſiſtere.

Velociùs quoque a Vino calidè hauſto partes ejus ſpirituoſę in cerebrum efferuntur, & ſpiritus cerebri incolas in majorem concitant motum, recreando, & augendo cordis motui opportuniorem: hinc major ſanguinis tenuitas, promptior curſus, ac deſęcatio, & conceſſa ſpiritibus per Vinum Calidum beneficia cum celeberrimo, & copioſo fœnore ad Stomachum redeuntia. Sed ut res hęc clarior fiat, vagari liceat per alias quaſdam conjecturas.

D 2 Sci-

Scimus, Aquam Regiam calore incitari ad aurum promptiùs corrodendum, aquam ſimplicem ad cremorem tartari, oleum aniſi ad corallia ſolvenda: quidni ſubſtantia Vini ab eodem acquirat vim majorem ad cibos comminuendos, ut calor non præcipuum inſtrumentum ſit magis exactæ chylificationis, ſed vires non ſuas inſtiget, atque promoveat? [a] Notum eſt noſtris Pharmacopolis, inquit Cornelius Coſentinus, ebur, cornucervi, aliaque dura corpora halitibus Vini, quod in cucurbita diſtillatur, expoſita, in ſubſtantiam friabilem redigi, quod tamen vix a diuturno prunarum ardore poſſit effici. Vinum, ſi actu Calidum admoveatur, plus calefacere obſervavit [b] Proſper Martianus, quàm multa etiam Vino calidiora: tanti poteſt nova quædam modificatio illi per calorem inducta. Scitè Lucanus, ut oſtenderet, quam languidi eſſent ex una parte prœliantium militum ictus, quam validi, & penetrantes ex altera, ita rem expreſſit.

Hinc frigidus omnis.

Eſt enſis, calet omne nocens a Cæſare ferrum.

Menſtruum Stomachi natura ſua fluidum eſt, & quaſi limpidum. [c] *In demortuis, vel etiam vivis quibuſdam, lentum, & tenax magis, utpote in quibus propter caloris defectum concreſcit*, ita obſervante, ac judicante doctiſſimo Bohnio. Poteſt autem per Vinum Calidum ea inopia caloris in vivente Stomacho auferri, & menſtruum ipſum, quod ad concretionem inclinat, agitari, ac fundi, ut ſanum fluorem recuperet.

Magna eſt in quibuſdam morbis depellendis

aqua-

a Progymn.6. b in lib. de humidorum uſu n.9. c Circul. anat, Progym. X.

Digitized by Google

aquarum utilitas, quæ calidæ ſcaturiunt, atque bibuntur, commercio ſcilicet caloris vim medicam aut habente, aut augente Ita Vinum Calidum quaſi thermalem indolem induere poteſt, & præ frigido magis beneficam; non enim deperdit vim nutritiam, & majorem acquirit tum fixa diſſolvendi, tum acida corrigendi, ut non immeritò ſcripſerit Aetius [a] ſocietatem quamdam ad balneum habere Vinum ipſum: loquebatur quippe de Vino Aqua fervente Calefacto.

Balneo ipſo calido tumeſcere ſanguinem experimur, ejuſque motum irritari. Pari ratione credibile eſt, pocula Vini Calidi allambentia venas atque arterias Stomacho inſertas, pigrò earum ſanguini rarefactionem, celeritatem, ſalium volatilium evolutionem indere, per quæ omnia major emicet inibi calor, major per nervos ſpirituum afluxus, vis ipſa fermenti digeſtivi, & circumprementium muſculorum vehementior fiat.

Naturæ ſolertia in ditando ventriculo venis, atque arteriis, eo ſpectare viſa eſt, ut ad celebrandam coctionem uberes quoſdam caloris fontes in promptu haberet; ad Stomachi enim fundum, & latera ſanguis efferveſcit, [b] *quaſi ignis accenſus*, ut loqui amat Villiſius. Nos autem parum intelligentes bona noſtra, indulgemus poculis frigidis, & in divinam magiſtram irreligioſi, deprimimus fontes illos, atque repellimus. Si nimio redundant calore, ratio quædam nos regit, & naturalis medendi peritia: ubi verò neceſſarius calor oblangueſcat, ut ſæpiùs evenit, noſtram ipſi cladem potores improſperi lente ſorbemus. Ut

a *Tetrabili 2. ſerm. 3. c. 7.* b *De ventric.*

Ut pingentis manus a linea, quam artificioſè ducebat, ſi per vim temerariam cogatur aberrare in alium tractum, obturbat decorem, & progreſſum imaginis; ita ordo coctionis, quem incipit a primo cibo natura, & veluti præfigurat, potu frigido ſuperveniente tranſponitur, atque confunditur. Fermento panis in Aqua calida diſſoluto & in maſſam farinaceam agenti, ſi frigus obrepſerit, panis tenax, atque infermentatus efficitur. Olla fervens per aquam frigidam injectam reſtinguitur; ſanguis manans a vena ſaucia ejusdem frigidæ contactu ſiſtitur ſæpius, atque fixatur. Si frigidam affuderimus ſanguini extracto a manu, vel pede, & adhuc ſoluto in Aqua calida, ſtatim concreſcit in grumos baculo hærentes, eò denſiores, ac tenaciores, quo magis ſanguis chylo recenti, & ſemicrudo fuerit perfuſus.

Exemplis tam claris admoniti, jure poſſumus ſuſpicari, non diſſimilia contingere in Stomacho, ubi maſſa ciborum, incipiens inter comedendum colliquari, & ferveſcere, potu frigido permaduerit. Particulæ ſcilicet cibi jam poſitæ in conatu diſſolutionis, repercuſſu quodam, & quaſi retrogrado motu coguntur iterum implicari, ut novo molimine opus habeant ad evolutionem ſuam reſumendam. Illud ſaltem liquet, quoties haurimus poculum frigidum, toties refrigeſcere maſſam ciborum, in ventriculo jam calefactam, & toties iterum calefaciendam: quod an proſit felicitati coctionis, prudentiores me judicent. Notum eſt, inquit Boyle, [a] mihi menſtruum, quod in metallum quod-

[a] *Detect. penetr. vitr.*

quoddam, dum frigidus eſset liquor, vel tepidus dumtaxat, non agit, cum tamen calore intenſiori reddito, id ipſum in pulverem, calcemque reddat. Tanti aliquando intereſt, liquorem diſsolvendis affuſum rebus frigidum eſse, vel calidum.

Quam amicę ſint Stomaco calidę potiones, oſtendit uſus Thè, Caffè, Coccolatæ, quæ licèt multum habeant ſpirituoſæ ſubſtantiæ, ſalibuſque turgeant volatilibus oleoſis, attamen ſi bibantur frigida, & gratiam, & robur videntur amittere, nec juvant naturam, ut conſuerunt calidè hauſta.

Partes corporis, quæ tegi non ſunt aſsuetæ, facile ferunt injuriam frigoris; partes verò, quas interius natura locavit, & munimento muſculorum, atque cutis obſepſit, a frigore tutas eſſe voluit, ut propterea ejus appulſus peregrinus ſit, & violentus, nec expers nocumenti. a *Ulcera Calidâ gaudent ex confeſſo, quia tegi aſſueta ſunt,* inquit Hippocrates; *meritò igitur & ipſæ Venæ, quia ſunt in Calido; meritò etiam ipſe thorax, & ventriculus ipſe a Frigida ſuperatus moleſte fert, & mortem minatur.* Verba ſunt ejuſdem Divini Senis, quorum veritas in Stomacho præſertim apparet delicatiore, cui cum non inſit firmum robur ad vim frigidi potus perpetuò exſuperandam vinci tamdem ipſum, & peſſumdari neceſſe eſt Nec exempla brutorum, Aquam Frigidam innoxie bibentium huc quadrant, niſi & fœno velimus homines uti ob eamdem rationem. Rectè Hippocrates, b *neque ipſam, inquit, ſanorum diætam, ac alimoniam, qua nunc utuntur, inventam fuiſſe cenſeo, ſi ſuffeciſſet homini idem cibus, & potus, qui bovi, & equo.* Quid

a *De humid. uſu c. 6*

Quid potentius fermento digeſtivo Struthiocameli? Exiſtimavit tamen Clariſſimus Nepos meus Valliſnerius, illud a calore actuari, & ejus defectu languidius agere; inquit enim: [a] *Poſto da me ſopra una laſtra di ferro, la tinſe ſubito d' una macchia oſcura.* Et paulo poſt *Se ciò fuora del ſuo nido, e per dir così, della ſfera della ſua attività in pochi momenti operò, che ſarà poi colà dentro attuato dal calore, pregno degli ſpiriti ſuoi nativi?* Ex quibus poſtremis verbis illud etiam elucet, latitare in fermento multum ſpirituum, quorum motum, & expanſionem ſolvendæ ciborum maſſæ occupatam, reprimi a potu frigido, & debilitari neceſſe eſt.

Potione frigida in ventriculum debilem illabente, tum corpori, tum animo torpor quidam obtingit, donec Vinum incaluerit. Fatigamus nempe naturam non neceſſario labore, ac nativæ inertiæ coctionis novas moras, atque obices ponimus, ut non mirum ſit, tractu temporis non corpora nutriri, ſed morbus. [b] *Inæqualis Calor, aut Frigus eadem die, cum talia fuerint, morbos Autumnales faciunt,* inquit Hippocrates. Quid autem aliud eſt, cibum calidum, & potum frigidum alternè ſumere, quàm iſtam imitari Autumnalis aeris inæqualitatem, & traducere in viſcera?

Suſpicor quoque, ductus excretorios glandularum ventriculi non parum corrugari a potu frigido, tum ſuccum ipſum digeſtivum ex iis manantem, eo perculſum afflatu nonnihil craſſeſcere, ut geminato coctionis damno, & glandulæ minus ſuppeditent liquoris frementativi, & liquor ipſe

mi-

a *Notomia dello Struzzo;* b *De humor, n. 4*

minus ſit, quam antea idoneus & ad fluendum, & ad agendum. Fibræ ipſæ ventriculi motrices, & blando agitatu coctionem juvantes, aſperſione frigidi potus rigidiores fiunt, & minus agiles; ipſique ſpiritus per eas intercurrentes, fixantur quodammodo, aut ſaltem deprimuntur, ubi præſertim pauciores fuerint, & minus validi.

Cum Vinum frigidè hauſtum, in debili, & tardo Stomacho diu moram trahens facilè aceſcat, credibile eſt cibum ſub ſpecie chyli a piloro egreſſum, ſalibus acidis abundè tinctum haud poſſe ſubire legitimam perfectionem in inteſtino duodeno, ſuccumque ipſum biliofum potius inde compeſci nonnihil, & figi, quam ad ſolvendum, & volatiliſandum incitari. Talem autem culpam tum primæ, tum ſecundæ coctionis, multorum malorum fœcundam eſſe, nemo auſit ambigere.

Quemadmodum muſti, pomacei, & aliorum id genus ſuccorum fermentatio tempeſtate calida melius, & expeditius ſuccedit, & Chimici quoque res digerendas loco calido exponunt, ita Vini Calidi auxilio promptius, quam frigidi, digeſtio ciborum humana perficitur, & matureſcit in chylum.

Frigidum, ut ait Philoſophus, non ingreditur opera naturæ niſi per accidens, caloris exceſſum contemperando: propterea non diffiteor, forti Stomacho id non eſſe inutile, cum videamus & ſanos homines, & bruta potu frigido uti ſine noxa. Sed quemadmodum rigorem Hyemis, atque ventorum delicatiores plantæ non ferunt, robuſtæ ferunt, ita rem ſſius ſe habens, & magis tenera conſtitutio partium ventriculi fluidarum, & ſolidarum, cum

nullum præferat caloris exceſſum, & idcirco ſuſtinendæ frigidi potus aſperitati par eſſe non poſſit, ſenſim oblæditur in functionibus ſuis, & valetudinem labefactat: quæ detrimenta ſenſim quoque contingit obliterari, frigido potu in Calidum demutato.

Tanti momenti eſt addere unum rebus, vel demere caloris gradum, ut ex hac potiſſimum accurata diſpenſatione, quæ fiunt in regno animali, vegetabili, minerali, videantur eſſe ſuſpenſa. Sol accedens, aut recedens quàm variè afficit naturam! quantas movet, maturat, intercipit productiones! Adauctus itaque per actualem Vini calorem in digeſtione ventriculi tum partium continentium motus, tum contentarum, atque impetum facientium, adjumento erit, ut cibi melius, quam antea, concoquantur.

Placeret quibuſdam, quos conſului, advocare huc Calidum, aſſertum ab Hippocrate in aureo libello de Veteri medicina, nempe Calidum acre, aut Calidum acidum, amarum, ſalſum, vel alterius ignoti generis, quod in ſucco habitet digeſtivo; quod Calidum, ubi forte oblanguerit, ab adventitio Vini ſuppetias, & vigorem ſumat. [a] *Simul autem* (inquit) *adeſt Calidum robore participans, nimirum ducens, & exacerbans, & augens ſimul cum illis, verum nullam potentiam majorem quàm convenit, videlicet habens*. Illud autem *exacerbans*, manifeſtat nobis majorem ſalinarum particularum motionem ab actuali Calido inductam, per quam cibi perfectius diſſolvuntur, & tranſeunt in chylum. Poſſunt enim

[a] *num.* 30.

nim hæc Hippocratis Calida in triplici ſtatu reperiri; nempe vel nimis aliquando libera ſunt, & conſpicua; vel obtuſa nimis, & depreſſa; vel convenienter permiſta, & cum aliis principiis in æquilibrio poſita, ut nec emineant, nec jaceant. Primo modo morboſa ſunt, & fræno indigent. Secundo modo pariter in vitio ſunt, & opus habent incitamento, ut ad ſalubrem agendi mediocritatem redigantur, quod perbelle in duobus caſibus propoſitis efficit Vinum Calidum. Calore ſcilicet Vini extrinſecùs adveniente, ſibique aſſociato, majorem internus acquirit potentiam motricem ad cuneolos ſalium exagitandos, & cibis intrudendos, cum præſertim Calidum hoc adventitium actuoſis & ipſum particulis inſertum ſit, atque conjunctum.

Putant alii beneficio Vini Calidi rareſcere ſanguinem Stomachi vaſculis inerrantem, & ſpiras aeris ipſi incluſas in majorem erigi niſum elaſticum: hinc ſpatiola in ſanguine ampliora, & minor ſuccedendi novo ſanguini reſiſtentia, ideſt major copia, & celeritas. Ubi autem plus eſt novi ſanguinis, & magis agitati, ibi vigor quidam vivificus floridior, & actiones organi perfectiores. Ipſa quoque compages ciborum, dilatato interno aere, fit ſolutioni accommodatior, & magis pervia ſubintranti fermento.

Alii dicunt, à Vino, quod calidè bibitur, facilè recipi effluia, intra Stomachum à ſanguine transſpirantia, quæ frigus perimeret. Vinum itaque tum propria virtute turgens, ab externis igniculis excitata, tum halitibus a ſanguine hauſtis, auram putant emittere blande actuoſam, pervadendis cibis, & recludendis aptatam; rem proban-

tes exemplo aeris, qui conjunctus radiis ſolaribus inducit fructibus maturitatem; nec diſſimilia contingere veris tempore, cum vigor novus commovet rerum ſemina,

Et Zephyro putris ſe gleba reſolvit.

ita ex corporibus electricis per frictionem calefactis vires emanant, quæ aliter in iis otioſæ, ac ſepultæ jacuiſſent.

Nonnullis venit in mentem, ſuccos eructatos a ventriculi glandulis melius conjungi Vino calenti, quàm frigido, & illud tingere intimius, atque impregnare. Major hinc facultas Vino inducta ſolvendi cibos, & in chylum elaborandi, cum vires Vini nativæ vim acquirant ab ea tinctura ſpecificam, & ſingulariter ad id operis determinatam.

Quidam ſimpliciter malunt, volatiliſari ſuccos torpentes per Vinum calefactum, acui bilem lentam, ſuccumque pancreatis nimis obtuſum, totamque ſanguinis maſſam a diatheſi coagulativa vindicatam curſui, & tranſpirationi aptiorem fieri: ſedimenta hinc, & ad inſtar capitis mortui fixationes humorum, aut factas deteri, aut ne fiant præcaveri.

Nec deſunt, qui huc arceſſant materiam quamdam æthereem, quæ præcipuam habet tum cibos, tum fermenta ſubtiliter agitandi, & comminuendi potentiam, quæque copioſior ſit in Vino Calido, quam in frigido, cum calor ipſe nihil aliud ſit, quam æther concitatus, & uniformi motu celeriter agitatus, ut ipſi putant.

Quid ſi in hominibus noſtrarnm regionum novitate ipſa bibendi calidè natura excitetur ad novos mores, novamque texturam chylo, & fluidis

omni-

omnibus inducendam ? Præclarè enim Arethæus, [a] *Si uſitatus*, inquit, *malo victus, in quo morbus alitur, deſierit, non ulterius hominem infeſtat*; *ſimul enim cum priore victus ſpecie morbus recedit*. Ita ille. Tranſitus verò a Vino actu frigido ad Calidum ita eſt nobis inuſitatus, ita totam victus rationem præcipuus ingreditur, ut videatur a priſtina diverſam efficere.

Coercet etiam homines Vinum Calidum ab intemperantia bibendi, & ob hanc rationem & morum, & digeſtionis, & vitæ confert concinnitati; ſorbillamus enim illud, non confertim bibimus: ex quo evenit, ut longior, & facta per morulas irrigatio, lentam pluviam imitata, magis imbuat fauces, ipſo interim calido liquore, ob partium ſuarum tenuitatem, penetrante glandulas ſalivales, & contentos in illis ſuccos eliquante, ad faciliorem ſitis moderationem. Certè nonnulli, qui Vino Calido utuntur, mihi affirmarunt, ſe paucioribus poculis, atque brevioribus contentos eſſe, quam ſi frigidè biberent.

Duce quidam Eraſiſtrato, atteri cibos in ventre contendunt, & depulſis fermentis, quibus hactenus honor eſt habitus, ſolam concelebrant triturationem. Cum verò trituratio hæc robur exigat organorum alterno ictu prementium cibos, & contundentium, idque illis efficacius queat afflari a Vino Calido, quam a frigido: propterea per iſtam ſententiam nihil videtur detrahi commodis a potu Calido in ventriculum importatis. Luctatores, antequam certamen inirent, ſibi muſculos calefaciebant;

[a] *De curat. diutur. morb. l. 2. c. 4.*

bant; & athletæ, qui unice ſtudebant nutritioni, & motuum robori, numquam bibebant Frigidè, referente utramque rem Mercuriali.[a] Sed antequam repudientur fermenta, æquum eſt mentem advertere ad obſervationes, & lumina, quæ attulit Valliſnerius meus, dum diſſecaret ventriculum Struthiocameli.

Tœdet jam te obſequii mei, plus afferentis nugarum, quàm volebas; & in tam variis opinionum commentis plane intelligis, Veritatem, quæ una eſt, non poſſe conſiſtere. Poſſunt tamen omnes ejuſmodi conjecturæ conferre aliquid ad indicandam præſtantiam Vini Calidi; verbis enim potius, quam re ipſa diſcrepantes, multiplici titulo uſum ejus nobis prodeſſe commonſtrant. Commercia remediorum, ac naturæ, in receſſu viſcerum celebrata, nemo aſſequi valeat; ſed mihi major ad ea caligo, qui mutæ inſuetus praxi beatius ſemper judicavi, quid morbum tollat reperire, quam quomodo tollat. Vale.

Ad

a *Gymnaſt. lib. 1, c. 15. & lib. 3, c. 8.*

AD EUMDEM.

Doctiſſimum, & Eruditiſſimum Virum.

PUlchrum eſſet, Ludovice Doctiſſime, te decerpere aliquid ex recondita, qua plenus es, eruditione ad exornandam cauſam Vini Calidi; multa enim illi fiet laudis, & quaſi auctoritatis acceſſio, ſi origine ab antiquis uſque temporibus deducta nobilitetur. Difficile eſt, inter potionum illecebras inferre præcepta tuendæ valetudinis, & docere homines delicatos ſaniorem ſitim: amœnitate tamen ſtyli tui, & gravitate judicii Vinum Calidum approbante, non parum decedet noxæ a publicis moribus, & ut egregiis adverſus Peſtem documentis nuper auxiſti rem Medicam, ita depulſo a poculis frigore, ſalubritatem bibendi munus tuum facies.

Galenus, Celſus, & alii Principes veterum Medicorum tum Aqua, tum Vino Calido aliquando uſi ſunt in ægris tractandis. Meminit, etiam Galenus cujuſdam Philoſophi Mitilenei, qui conſueverat ſemper calide bibere; cumque aliquando febre detentus, juſſu Medicorum aquam frigidam invitò bibiſſet, ex ea temeraria mutatione mortem obiit. Notandum, inquit Plinius, *nullum aliud animal, præter hominem, calidos potus ſequi*, quaſi caſtigaret mores ſeculi ſui nimis propenſos ad Potum Calidum.

[a] Athenæus hanc refert Platonis ſententiam: Si ſiti caliditas aliqua ſit injuncta, frigidi exhibet deſi-

[a] *lib. 3, c. 21.*

deſiderium ; ſi frigiditas , Calidi . Ita Plato lib I. de Rep. Ex quo apparet , ab ævo uſque Platonis, ubi conditio Stomachi poſceret, uſitatam fuiſſe potionem Calidam .

[a] Hippocrates dum ſcribit, Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ, indicare videtur, ad hæc vitanda incommoda calide bibendum eſſe.

Multo uſui erat Aqua Calida in conviviis Romanorum, hinc illud Martialis:

Caldam poſcis aquam, ſed nondum frigida venit:
Alget adhuc nudo clauſa culina foco.

Crediderim autem idcirco expetitam , & celebrem fuiſſe, quia convivæ , qui eſſent Stomacho parùm firmo, & frigore læderentur, mixtura illius ſibi Vinum calefacerent, atque attemperarent.

Filios quoque Principum , quorum menſa cautiùs regebatur, aſſueviſſe potui Calido , ſubinnuere videtur Tacitus ita ſcribens: [b] *Innoxia adhuc, & præcalida, & libata guſtu potio traditur Britannico ; dein poſtquam fervore aſpernabatur, frigida in aqua affunditur venenum.*

Plautus in milite glorioſo inducit ſervos ita invicem loquentes :

Paleſtrio. *Neque tu bibiſti?* Lucrio. *Dii me perdant, ſi bibi.*
Si bibere potui. Paleſtr. *quo jam?* Lucr. *quia enim obſorbui.*
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.

Sed hæc nimis pauca ſunt , & leviter adumbrata potus Calidi monumenta, nec ſatis aperiunt, an

a 5, aph. 18. b Annal. l. 13.

an ut Aquam, ita Vinum igne calefactum biberint aliquando antiqui, & aſſidue biberint. Mihi autem totos dies illiteratiſſimos inter medendum & ambulandum agenti, clariora non ſuppetunt. Rogo te, atque obſecro, ut impendas otii aliquid in hanc rem, deque ampliſſima Bibliotheca, in qua non minor magnis Scriptoribus ſedes, me Stomachis prodeſſe debilitatis tentantem libenter adjuves. Vale.

AD EUMDEM

Doctiſſimum Virum.

CUr Epiſcopus Mutinenſis, & Conſiliarius Tamburinus nullo medicamento ſanari potuerint, & demum quotidiano potu Vini Calidi a vetuſto morbo ſint liberati, quæſtio eſt non minus curioſa, & pulchra, quàm difficilis. Nimium tribuere calori videamur, ſi unicè illi aſsignemus pulcherrimam curationem. Si confugimus ad ceteras Vini facultates, cum eæ in Vino Frigido nihil profuerint, neceſſe eſt, ut ad calorem iterum revolvatur oratio, tamquam illas excitantem, acuentem, & languentis naturæ uſibus accommodantem.[a] *Frequenter ſuccedit, quod id, quod aqua ſola non poteſt, poſſit cum ea conjunctus calor.* Ita doctiſsimus Guglielminus. Eodem modo ſe res habet in Vino. Aut novas vires acquirit a calore, aut inſitas auget, aut mira quadam motione agitatur, diſcutiendo naturæ vitio ſingulariter idonea, & quaſi ſpecifica. Latent nos adhuc legitimæ leges coctionis, & fermenta ipſa

 non

a *Diſſert. phyſ. med. mech. pag.* 105.

non carent obſcuritate, cum an ſint, quid ſint, a quo veniant fonte, unde ſibi conflent tam miras, & varias dotes, nondum planè perceptum ſit, & cognitum. Quid itaque Vinum Calidum conferat coctioni, divinare non poſſumus. Multas tetigi ſuperiùs de illius actione conjecturas, ſed cum res hæc difficiles habeat exitus, & multarum ſit fœcunda cogitationum, liceat iterum eadem oberrare chorda, & ad ſcopum medicum propius accedere.

Suſpicio quædam, tamquam ventus, eo me impellit, ut exiſtimem proficere potum Vini Calidi, obſtructiones aperiendo, & vias ſanguinis emundando; cum enim celerrimus ſit ejus in ſanguinem tranſitus, credibile eſt, particulis quibuſdam utilibus inter occurſantes cibos tamquam in filtro relictis, oppoſitas in glandulis ulterioribus moras, & ſtagnantia corpuſcula, ſi quæ ſunt, tum curſu rapido perrumpere, tum ſecum abducere. Qui Vinum ſumunt valde calefactum, affirmarunt mihi, ſe urinam emittere præter ſolitum caleſcentem, ex quo ſignificatur impreſſum illi calorem pluſculo tempore conſervari, donec omni corporis angulo peragrato, circuitum ſuum abſolvat. Hæc præſentia caloris quàm fortius evibrat ejus particulas, quàm facit altius penetrare in pigros ſuccos? *Calida temperata*, inquit Galenus, [a] *grata amicaque ſunt; funditur enim, quod in corporibus noſtris concretum fuerat*. Eruditiſsimus Jo: Bonhius, [b] *ſal*, inquit, *volatile Vini alchali tartari fixo per convenientem digeſtionem adhæreſcit, & ambo ſimul alembicum conſcendunt, pauciſſimis, vel nullis terreſtreitatibus in*

a *lib. 4. de ſimpl. med. fac. c. 1.* b *Diſſert. de acid. & alchal.*

in fundo relictis. Ita ille. Particulæ autem volatiles Vini Calidi, per obſtructa loca ſæpius tranſeuntes, non diſparem habent facultatem abripiendi tartareas atomos ibi ſtagnantes, & per vaſa, tamquam alembicum, attollendi, ut fluxui ſanguinis involvantur.

Juvat hìc paucis commentari eruditiſsimum Lanciſium, & quæ præclarè ſcripſit de leni Auſtro, mei juris facere. a *Hic ſiquidem ventus*, inquit, *quemadmodum in frugibus, arboribuſque florum eruptionem, aut auſterorum fructuum maturitatem citiſſimè promovet, ita noſtris corporibus uberiore etiam tranſpiratione mirè blanditur*. Paria ſunt Vini Calidi beneficia. Laceſsit, & blandè verſat ſuccos torpentes, evolvit ſubſtantiam tenuem, atque volatilem iis implicitam, ideſt facit illos agitari, & matureſcere. Permeabilia idcirco reddit corpora, ſolutis qnæ cruda erant, ac fixa, & obſtabant fluxui, ac tranſpirationi fluidorum: *Dulce enim ſulphur, quod a Zona torrida cum Auſtris defertur, leniter ingeritur, laxatque tam ſolida quam fluida, viventium machinas conſtituentia*. Ita ille. Nil dici poterat concinnius ad explicandam Vini Calidi prærogativam; leniter enim ingeritur, abundat ſulphure tum nativo, tum adaucto, & excitato a peregrinis effluviis, ipſi per ignem infuſis. Laxatio hinc blandiſsima ſtagnantium corpuſculorum, canaliculis ipſis velut rore quodam balſamico illitis, & adapertis. Sed audiamus reliquam magni Auctoris concinnitatem. *Unde*, inquit, *Criſes in ægrotantibus per ſudorem, hæmorragiam, & potiſſimum per anacbatarſim (quæ Aquilone obtinente ſubſiſtunt) ab eodem*

 be-

a *De nat. Rom. Cœli qual. cap. 4.*

Digitized by Google

benigniter ſlante Auſtro ſæpiſſimè promoveri obſervamus: Videntur hìc monſtrari tamquam digito vires Vini Calidi aperitivæ: unde enim vetuſti Aſthmatis interceptio, niſi depulſis per urinam & cutem ſuccis, qui pectori futuri erant infeſti? Ea verò depulſio vix fieri poterat ſine liquidiori compage ipſorum ſuccorum, & ſemitæ liberiori tranſitu, per quam fuerant ſecernendi: quæ utraque bona conſequuntur poteſtatem Vini Calidi, gelatinoſis concretiunculis recludendis aptatam. Gravia ſunt illa verba (*quæ Aquilone obtinente ſubſiſtunt*). Parvus autem Aquilo in caſu noſtro eſt actuale frigus Vini, quod in debili, & crudo Stomacho tantùm diſtat a benignitate Vini Calidi, quantum Aquilo ab Auſtro.

Fortaſſis hæc perperam in meos uſus detorta ſunt; ſed liceat ingenio inopi ſurripere aliquid ex alienis divitiis, ad ſuſtentandam bonam cauſam.

Conſuluit natura exturbationi ſedimentorum, quæ hìc illic in vaſculis hærent, aſsiduo fluxu, & propulſu ſanguinis; ſed ubi ſanguis ipſe craſſior eſt, & lentis, pigriſque ſcatet particulis, ubi tardior in motu, potiùs novas adjicit concretiunculas, quam vetuſtas abradat. Si quando itaque actuoſis, & ſpirituoſis particulis onuſtus incedat, æquum eſt arbitrari, tunc obſtantes moleculas divellere, atque averruncare, ritu fluminum, quæ lutum, & arenas eo ſibi facilius involvunt, quo fluunt concitatius. Vino frigidè hauſto calor actualis venit a ventriculo, & ſanguine; cum verò tantum amittant partes caloris, quantum alteri communicant, palam eſt majorem caloris gradum, & energiam, ſanguini provenire a Vi-

Digitized by Google

a Vino Calido, quam a frigido.

Si detur aliquis inter vaſorum tunicas per poros acceſus, putarim ex ipſo ventriculo emitti halitus a Vino Calido in proximas venas, atque arterias, a quibus agilior fiat incluſus liquor, & ad obvios grumulos exterendos magis idoneus. Adeo nimirum velocia ſunt Vini Calidi commoda, ut antequam peragret tota mole ſua vias chyli, & ſanguinis, jam prodeſſe incœperit: nec obſcurè noteſcit ex utilitate balneorum, & fomentorum, pervias eſſe membranas tum emittendis, tum ſuſcipiendis halitibus.

Inducere videtur ſanguini Vinum Calidum velut quemdam lenem orgaſmum, aut æſtum, per quem reſiſtentias in curſu repertas paulatim abſumit; additus nempe calori calor, & motus motui obſtruentem materiam laxat, ac diruit.

Obſtructionum cauſa tum ex ſitu eſt canaliculorum anguſto, & flexuoſo, motum ſanguinis retardante, tum particulis ipſius ſanguinis, gravitate, magnitudine, plicabilitate peccantibus, ideſt, habentibus aliquid cruditatis: infuſis autem ſanguini tamquam cuneolis per Vinum Calidum, rarefacto illius aere, atque in majorem promoto niſum elaſticum, adauctis motuum momentis, facile eſt laxari vaſcula, & mucos ſolvi adhærentes, ac reſorberi. Si lympha, vel ſanguis ſubſiſtant in habitu corporis, adhibemus illico Vini ſpiritum, aut Vinum ipſum calefactum, ut vel tranſpiratu abſcedant, vel extenuatione, ac motu addito, in circulum redeant.

Certum eſt, fibras vaſa ſanguinea cingentes roborari halitu Vini Calidi, ipſamque ſubſtantiam flui-

fluidam fibris incluſam, quæcumque illa ſit, fieri magis actuoſam; hinc motus contractionis, quo ſanguis urgetur in curſum, atque attenuatur, validior emergit, quod mirificè prodeſt ſtagnantibus in via corpuſculis agitandis, & disjungendis; ut enim ventus quo fortior eſt, eo magis frangit oppoſitas arbores, atque ut torrentis impetus diruit pontes, ita (ſi fas eſt magnis parva conferre) occluſas minimas vias ſibi ſanguis aperit eo potentius, quo fortius impellitur. Utque aqua ſtagnans in ſpongia preſſu manus elicitur de loculis ſuis, ſic vivida ſyſtoles canaliculorum ſuorum elidit ſuccos quieſcentes, & protrudit in curſum.

Si verò cutis glandulæ in culpa ſint minus liberæ tranſpirationis, eadem ſentiunt per Vinum Calidum beneficia, totum corporis habitum ſalutantia, & Criſim promoventia, cujus tanta nobis neceſsitas eſt tum ægrotis, tum ſanis, ut ea intercepta, nec convaleſcere a morbis facile poſſimus, nec ſanitatem tueri. Occurrit hìc recentiſſima obſervatio.

Epiſcopus noſter inviſens nuper Eccleſias Montium Mutinenſium ſibi ſubjectas, dum equo vectus quodam die iter faceret per ardua loca, frigidam auram repente motam adverſo pectore totam excepit. Sub initium noctis paululum illi anguſtiæ in ducendo ſpiritu, quaſi umbra quædam vetuſti mali, atque inchoamentum; ſed cum in cœnula Vinum præcalidum bibiſſet, timor omnis, & anguſtia evanuit Res hæc me admonuit, ex adapertis, aut occluſis meatulis, qui ſunt in cute, ſubnaſci, aut ſanari non raro morbos, & vel tacente San-

Sanctorio, verum eſſe illud Aſclepiadis, a male nos affici, *ſi manantia corpuſcula per inviſibilia foramina ſubſiſtendo iter claudunt*.

Ipſæ glandulæ Stomachi aliquando gelatina quadam obductæ ſunt, aliquando ſuccus ex iis emanans peccat denſitate; utrique autem huic vitio vis Vini Calidi, aperiens, ac ſpirituoſa, præſentiſſimam medelam afferre poteſt, ut tum novo affluente ſucco, tum vetere rarefacto functiones Stomachi fiant vividiores. Pari facultate ſi quid lenti natat in ſanguine, ſubigitur per Vinum Calidum, & a morboſis implicationibus avocatur; ut enim notat Hippocrates: b *Quæ facta tollunt, ante facta fieri probibent*.

Videtur itaque mihi Vinum Calidum ſtagnantia corpuſcula dimovere, ac de quiete, vel nexu ſuo fortius exturbare, quam frigidum. Vale.

Mutinæ Idibus Octobr. 1719.

AD

a *Celſ. in præam.* b *3. in 6. Epid.*

AD EUMDEM.

DElectatus ſum diſſidio trium amicorum, qui de modo, quo proſit Vinum Calidum, quęſtionem agitabant. Erant illi Antonius Monturſius, Hortenſius Benedellus, & Franciſcus Bernabæus: primi duo jam clari medendi laude; tertius Medicinam recenter ingreſſus, plus habebat in dicenda ſententia celeritatis, & fiduciæ, quam roboris. Ergo alios adaucter præcurrens:

Qui mecum, inquit, norunt late regnantem in Vino potentiam acidi, & alchali, facillime vident ex eo calefacto petendum eſſe principium, quod alterius ſalis in fermento digeſtivo peccantis exceſſum moderetur, alterius defectum impleat. Partes Vini oleoſæ, volatiles, inflammabiles multò alchali turgent, partes tartareæ multo acido: ex hac gemina dote fermentum his, aut illis depauperatum pro naturæ ſuæ indigentia, & pororum aptitudine facilius unius generis ſubſtantiam ſibi aſſociat, quàm alterius, quemadmodum videmus Aquam regiam facilius atomos aureas, quàm argenteas delibare, ac recipere in ſinum ſuum. Ita caput mortuum vitrioli, nitri, aluminis ebibit ab aere ſal ſui generis, quo reviviſcat, aliis rejectis. Actualis autem caloris eſt, laxare Vini elementa, ut huic ſeparationi fiant opportuniora. Ergo peccet in Stomacho acidum iners, fixum, aut etiam corroſivum: a ſulphuris Vini benignitate corrigitur; vel quoddam ibidem ex alchali redundante ſit vitium: a natantibus in Vino particulis acidis leniri poterit, atque com-

compeſci, ſollicitante præſertim æthere, qui in calefacto liquore copioſiores habet poros, & validiores facit vibrationes, ut enim docet Franciſcus Baile, [a] *a multis, aut a majoribus poris, plures, aut majores materiæ ætheræ rivuli detorquentur, determinanturque ad majorem impulſum*.

Videris mihi, ait Benedellus, non ſolum habere ipſe mirum ingenium, ſed etiam aliis rebus impertiri. Vinum enim per te ſapientiſſimum evadit, dum adeò artificiosè, prudenterque diſpenſat in Stomacho dotes ſuas. Laborat Stomachus alchali penuria: en Vinum revellit protinus de fonte ſuo copiam alchali, ut illi ſubveniat. Laborat acoris inopia: pari providentia illum implet divitiis acidis. Sed bonæ Vir, adjuva me ad hæc clarius intelligenda. Si alchali Vini transfertur in acidum Stomachi, eique inſeritur, & ſalubrem inducit mediocritatem: quid fiet de acido Vini jam ſibi relicto? quam invadet potentiam alchalicam, cum hæc in fermento deficiat, aut novo acido ſit exſaturata? Nonne vides, correcto fermenti acido, conſpicuum fieri, nudum, effrenatum Vini acidum, ut mali tantumdem facias, quantum ademeris?

Idem poteſt dici de partibus Vini alchalicis. Earum acido ad fermentum tranſvolante, nonne remanent intemperatæ, ac Stomacho infenſæ? Dum itaque hìc gladiolos vagina induis, hìc denudas, non minus obnoxium injuriæ Stomachum relinquis, ac prius fuerit.

Dic etiam, cur ſaliva poros habet, tum liquori alchalico, tum acido admittendo idoneos; ſpiri-

a *Phyſic. par. 1. lib. 1. ſect. 3. diſp. 1. artic. 6.*

tus enim ſalis armoniaci, ac vitrioli pari facilitate illi poſſunt affundi, ac permiſceri; fermentum verò Stomachi, quod eſt de ſalivæ familia, repudiet, ut putas, modo alchalicas Vini partes, modo acidas.

Contingit etiam dubitare, cur acidum Vini ſejungatur a ſuo alchali, ut peregrinum exſaturet, quod eſt in fermento. Quæ vis mechanica iſtam faciat in Stomacho ſeparationem, cum ad extrudendum acidum, quod latet in Vini ſpiritu, opus ſit ſale tartari, calce, aut alio rectificationis ingenio per ignem adhibito. Tu verò hanc rem adeo facilem putas, ut ſola cogitatione perficere videaris.

Si tamen fingamus, particulas Vini acidas in fermentum tranſire nimis alchalicum, alchalicas verò in acidum: parva inde ad ciborum coctionem accedet utilitas, cum certum ſit ex Chymicis experimentis, ſalia hæc mutuo conflictu ſe citò conficere, & quodammodo extinguere, dum poſt brevem luctam abeunt in offam, aut in ſal tertium, quod ſua natura non diſſolventem vim habet, ſed abſtergentem, & ſaponariam.

Suſpicari etiam licet, particulas cibi ſolidas, aut lentas interjectu ſuo, & permixtione non ſinere ſalia hæc nudis frontibus pugnam inire, nec facultatem Vini multo cibo involutam, integros ferre poſſe, atque incorruptos aculeos ad ſananda fermenta. Præſtaret Vinum Calidum bibere jejuno Stomacho, ſi tuæ aſſertioni fides habenda eſſet; nihil enim tunc obſtaret ſalinarum potentiarum congreſſui, & mutuæ contemperationi: ſed nobis quæſtio eſt de potu inter comedendum aſſumpto, qui ut immi-

immiſcetur cibis multum habentibus oleoſæ ſubſtantiæ, terreſtris, phlegmaticæ, ita vim ſuam applicat fermento aut hebetatam, aut peregrino ſapore imbutam, ut non poſſit adeo facile celeberrimam illam dimicationem, conjunctionemque cum ipſo ſubire. Compeſce igitur tuam in ferendo judicio licentiam, donec iſta diſcuſſeris, & diſce cunctanter ſapere.

Non equidem ſpero, me hìc melius aliquid divinaturum, cum ſoleam falſi notas facilius videre, quam veri; putarim tamen aufugere a Vino, cum incaleſcit, partes quaſdam activas, & alias alterius generis ab igne profectas, in ipſum tranſire: inde Vinum magis amicum Stomacho fieri, & ejus imbecillitati accommodatum. Ita potus Thè, Caffè Coccolatæ aliquid volatilis per ignem deperdit, & acquirit, non ſine majori bibentium utilitate. Opinio hæc ab Hippocrate deducta eſt, qui jubebat diminuere coquendo ſummas vires alimentorum, & medicamentorum, ut naturæ noſtræ aptiora evaderent; & notum eſt ex Chymicis, aliquando menſtruum debilius ſolvere corpora, quæ fortius non poterat. Manſuefactum itaque Vinum per nonnullam effumationem, & commercio igniculorum, in molliores motus, & nerveæ Stomachi tunicæ gratiores adactum, eam attulit bibentibus ſalubritatem, quam per experimenta cognovimus.

Non procul abeſſe a Benedelli ſententia viſus eſt Monturſus in hunc ſenſum locutus.

Cum per calorem ignis aliquid avolet ſpirituum ſulphureorum, fortaſſe ſalia Vini acida incipiunt emergere, ac denudari, ſed leniter adeò, atque

obſcurè, ut id guſtum lateat; ſcimus quippe aceſcere Vinum, ſi diutius apud ignem, aut in ſole detineatur. Suſpicio hæc Vinum calefactum eam ob cauſam redderet ſalubrius, quod bili exaltandæ minùs eſſet idoneum; quam multa enim mala, quæ acido peccanti tribuimus, a degeneri bile ſæpius proveniunt chyli fontes inquinante? Ut autem maculæ, quæ lintea inficiunt, felicius delentur Aqua Calida, quam frigida, ita hæc Vini medela intimius bilem ingreditur, caſtigat, abſtergit actu calida, quam frigida.

Riſit ad hæc Bernabæus, & me quidem, inquit, deſipere mirum non eſt, paucis tinctum litteris, & in re medica novum: vos verò graves Viros, qui copioſam ad lectulos ægrotorum ſapientiam venditis, numquam putaſſem tam abſurde ſentire de Vini Calidi utilitatibus. Orbatis Vinum parte magis volatili, ut magis proſit. Hujus mirificæ doctrinæ artificio poteſtis & Soli radios eripere, ut magis luceat. Maximum Vini beneficium in eo poſitum eſt, quod ſpiritus reficit animales, qui ſuprema ſunt rota motionum vitalium: abſumpta verò ſpirituum parte, ut Vinum obſcurè aceſcat, quomodo poterit illos in robur, & alacritatem erigere, cum potius figendi vim habeat, quàm odore atque halituum ſimilitudine fluidum nerveum recreandi? Quid dicetis, ſi vas, in quo Vinum caleſit, occluſum ſit ſigillo Hermetico? An tunc ceſſabunt ejus potionis beneficia? Majora potius, ut arbitror, fierent.

Sorbillanti Vinum Calidum in promptu eſt leniſſima quædam accenſio capitis, nec deerit ebrie-

tas,

Digitized by Google

tas, ſi largius, quam par eſt, ejus potionis indulſeris jucunditati. Hæc autem teſtimonio ſunt, ſulphureos ſpiritus non defugiſſe a Vino Calido, ſed potius laxitatem quamda maſſecutos, per quam præſentius, & expeditius afficerent ſanguinem, & in orgaſmum blandiſſimum concitarent.

Si quid expirat a vaſe incuſtodito, adeo exiguum eſt, ut nec copia, nec viribus Vinum mutilet; ſi enim, poſtquam incaluit, diſtillaveris, non minus elicies ſpirituum, ut ſuſpicor, quam ſi frigidum in alembico poſueris. Sapor ipſe Vini calefacti plus vividus, & ſpirituoſus, quam ſi frigidè biberes, ſatis evincit potius auctam illius energiam a calore, quam imminutam, excitante quidem igne, ac nonnihil explicante particulas activas, ſed motui vertiginoſo reliquarum partium involvente, ne adeo celeriter avolent. Antequam Vinum aceſcat per lentum ignis calorem, aut Solis, opus eſt menſium tractu; nos autem breviſſimo tempore, quod horæ quadrantem non excedit, illud calefacimus, ut commoveri potius poſſint partes volatiles, quam extrudi.

Medicina ex Hippocrate *additio* eſt, & *ablatio*. Deeſt vigor in ſenibus, deeſt in crudis, & valetudinariis. Si Vinum Calidum per acidas, & phlegmaticas particulas præſertim agit, non redintegres languentem vigorem, ſed magis deprimas. Illud autem de bile caſtiganda commentum hìc locum non habet, cum in ætate ſenili, atque attrito Stomacho acui potius debeat, quam profligari. Ablatio nempe Hippocratica hìc non convenit, ſed additio, quam per activas, & ſpirituoſas particulas,

igne

I

igne agitatas, perbellè facit Vinum Calidum. Sit neceſſarium opio ſcatenti ſulphure impuro, ac venenato, per ignem enervari, antequam veniat in uſum medicum; Vino verò jam per fermentationem defæcato ſatis ſit frigus demere, ut ſalubrius fiat; calefacta enim principia Vini nobiliora, nempe acidum, & alchali, efficacius inſtaurant luctas ſuas, coctioni obſecundantes.

Plura dicerem, vindicaturus a redargutione ſententiam meam, niſi me deceret verecunda inter philoſophandum cunctatio, ut perhumaniter admonuit doctiſſimus Benedellus.

Concertatiuncula hæc, in ſocia per pratum ſuburbanum ambulatione facta, certiorem me fecit, ignota nobis eſſe non ſolum ea, per quæ vivimus, ut voluit Plinius, ſed ea, per quæ ſanamur. Contenti propterea eſſe debemus proſpero eventu potionum Calidarum, memoria tenentes conſilium Galeni, quod ſic habet: [a] *Ubi primum quod ab iilis utile eſt invenerimus, a phyſicis problematis recedendum eſt, quæ innumeris dubitationibus ſunt intricata*.

Sit interim tibi fabella hæc ludentium magis, quam diſputantium amicorum meorum, munuſculi loco. Experientia ſola Vini Calidi digna eſt, quæ animadvertatur. Cetera garrulitas circa ipſam oberrans, levis auræ ad inſtar eſt, quæ arboris frugiferæ folia modo in unam partem inflectit, modo in alteram, fructibus interim ipſis a ſtatu ſuo non demutatis, nec temerariam ſentientibus agitationem. Vale.

AD

[a] *De ſimpl. med. facult. l. 1. c. 14.*

Digitized by Google

AD EUMDEM,

Doctiſſimum Virum.

SI quid mentis adjiciunt nobis res, ætas, experimenta, fatendum eſt inter cetera valetudinis præſidia nobiliſſimum ſibi locum poſcere Vinum Calidum; ſanamur enim eodem poculo, nutrimur, & refloreſcimus, abſtinentes a pharmacis, quorum dotes horridulæ, obſcuræ, ancipites, ſemper erunt obnoxiæ diſputatiouibus, donec vigebnnt ingenia hominum. Quam magna ſalutis pars eſt, remedium carere noxæ metu? Eo quippe fato agimur Medici, ut ipſi noſtram ſæpe ſolertiam formidemus; exſudantque nobis non ſemel præcordia ob tacitam culpam medicamenti.

Me quod attinet, jam a duobus annis bibo Vinum Calidum, nec parvo cum fructu. Deſtillatio, qua per Hyemem ſæpius cum tuſſi vexabar, deleta eſt. Gravitas quædam, & torpor a paſtu etiam moderato mihi familiaris, evanuit. Obſequium ventris antea difficile, nunc quotidianum. Stupor quidam, qui digitis manuum cœperat obrepere, jam nullus eſt. Aciem oculorum minus hebetem habeo, quàm dum biberem frigidè. Multi ex meis, qui ſueverant hiberno catharro tentari, confugerunt ſalubriter ad Vinum calefactum, quod nunc tanto in honore eſt domi meæ, ut ſtatim ac incubuit morbi timor, ejus uſu ſe muniant, atque tutentur Hoc pacto filiolæ N potis mei, quę multę ſunt, ab obſtructione, pallore, febriculis ſe ſe vin-

vindicant, odio medicamentorum liberatę, cum paratam ſibi habere videantur intra ſuos lares ſeu firmandæ, ſeu recuperandæ valetudinis ſuaviſſimam facilitatem.

Dices, improbum eſſe, velle omnibus aut malis, aut naturis aptare Vinum Calidum. Recte dicis; ſed conſidero pleroſque hominum in noſtra regione, dum ſani ſunt, Vinum bibere, licet diſcrepent temperamentis: accommodum eſt igitur Vinum etiam diverſis naturis, & iis præſertim, quæ illi aſſueverint; adventitius autem calor, (quemadmodum non immutat naturam Vini, ſed perficit; ita non prohibet, quo minus publicè, ut ſi frigidum eſſet, poſſit uſurpari. Competere tamen ſingulariter iis videtur, quorum Stomachus aut tacitè, aut palam in culpa eſt: nimirum ſenibus, valetudinariis, frigidulis apprimè quadrat: tuſſiculoſi quoque, aſthmatici, hypocondriaci, flatuoſi egregiam, ut puto, ab ejus uſu percipient utilitatem. Ita qui doloribus hypocondriorum, renum, ventris per intervalla vexantur, qui ad cachexiam proni ſunt, tum mulieres, quæ ab utero languent, parum habebunt auxilii a potu frigido, multum a Calido.

Qui ſanguinem naturâ æſtuantem habent, qui tenuem bilem, qui robuſtam ætatem, atque ventriculum, non indigent Vino Calido. Si tamen eo uſi fuerint, non admodum delinquent; Vinum enim Calidum vias reſerans, & abſtergens, ventilationem ſanguinis promovet, per quam calor noxius expirat, & abſumitur, totaque inde natura ſanguinis temperata magis, & lenis evadit: quippe

ut

Digitized by Google

ut aqua calida ex Galeno refrigerat, [a] *extalefacientem nimirum humorem digerendo*; ita Vinum calefactum, cum extenuet, diſcutiat, & abſtergat humores, purioremque ob id ſanguinem faciat, vim quoda mmodo habet refrigerantem.

Non me latet, convaluiſſe quoſdam a protervo dolore Stomachi, & ventris, copioſo potu Aquæ gelidæ. Acrimonia ſuccorum effera, & impetus eo gelu compreſſa ſunt, atque ſubacta. Sed medela hæc raro felix Stomachnm exigit valde fervidum, carnoſum, & juvenilem, ut ferri poſſit; plura ſiquidem traduntur eorum exempla, qui hauſtu gelido læſi, aut etiam extincti repente ſunt, quam qui ſanati. Ecquis auſit in dubiam adeo fati aleam conjicere infirmum Stomachum? [b] *Plura de unoquoque præcipere licet*, ait Hippocrates. Sed tutiora ſunt eligenda. Res mihi eſt cum frigidulo, & tardo Stomacho: huic uni opem ferre allaboro per Vinum Calidum, cujus pulcherrima laus eſt, nocere non poſſe. Utantur frigidis tum aqua, tum Vino, utantur etiam gelidis, qui calore pollent, ac robore: me ſatis admonent experimenta tum in aliis habita præclarè, tum in me ipſo, Vino Calido adjuvari Stomachum, & cruditates inde ortas, & ſanguinem fœdaturas, in ipſis opprimi natalibus locis, ac emendari.

Nonnulli, qui fortaſſe habent vitium latens in ſolida quadam viſcerum parte, non queunt emergere, ut ſuſpicor, per hoc præſidium a malis ſuis; tranquillius tamen, & diutius vivunt, quaſi ſpina ſi non evulſa de vulnere, ſaltem hebetata. Noſti

H Fran-

a *De ſimpl. med. facult. l. 5.* b *6 Epid. n. 7.*

Franciſcum Cignolinum, inſignem Pharmacopæum. Laborat hic per intervalla ſæviſſimo inter mejendum dolore, non ſine ſuſpicione lapidis in veſica. Crudeſcit illi malum a potu frigido, mitteſcit a calido, ut jam ſenectutem Vini Calidi ope ducat minus ærumnoſam.

Sed ut redeam ad meam bibendi Calidè conſuetudinem, animadverto me per dies caniculares vix ferre poſſe Vinum impenſe Calidum, licet Epiſcopus, & Conſiliarius Tamburinus conſtanter ferant. Cautè idcirco, & paulatim ſumo frigidiuſculum; ſed lenito aeris æſtu, ad morem redeo. Attempero etiam mihi aliquando Vinum Calidum mixtura frigidi, prout Stomachus varius eſt, nec ſemper ſibi ſimilis; ut enim concentus muſicus ex quadam reſultat fidium intentione, ac remiſſione, ita Stomachi tonus modò præcalido gaudet potu, modò ſubfrigido; ineſt quippe huic viſceri ſapientia quædam, & cum nihil didicerit, omnia intelligit, ut de calido innato ajebat Hippocrates.

Hac adjutus bibendi regula, levius fero annorum incommoda, & interdum mihi videor quaſi viridis. Ætas certè anteacta minus habuit ſalubritatis, ſerò enim didici potum calefacere. Deditus corporis exercitationi, partim diem tero viſitationibus medicis, partim deambulo ad agellum meum ſuburbanum, cujus viticulas, & arbuſculas ſæpius numero. Voluptas bibendi Calidè adeo me tangit, ut modicum prandium, & cœnula, ob potus jucunditatem luxum quemdam habere videantur. Una me res perturbat, ingenii tarditas nullo Vini æſtu calefacta. Quo magis rogatum te velim, Eruditiſſi-

diſſime Ludovice, ut commoda Vini Calidi, patronum hactenus nacta indiſertum, ſub tuam recipias auctoritatem, atque tutelam.

AD EUMDEM.

NE putes, Vir pietate, ac litterarum gloria, præcellens, potus Calidi laudes intra Vini limitem contineri; atque compeſci. Decurrunt illæ copioſius, & blandiſſimi, ac tutiſſimi remedii titulo Aquam Calidam ornant. Cumque ſciam te valde ſollicitum eſſe pro morbis Pauperum, Eccleſiæ tuæ ſubjectorum, & poſſis hinc perſæpe inemptam opem illis afferre, dicam adhuc paucula de hoc argumento.

Nobilis Monialis ex Cœnobio Mutinenſi Divæ Urſulæ, annum agens 45 horrendam vim ſanguinis per tuſſim ejecit. Sedato effluxu cœpit, me conſulente, Aquam bibere, Vino penitus dimiſſo. Cum à frigida, & tepida læderetur, adeo calidam ſumpſit, ut penè ureret fauces, ſed tanto Stomachi tum oblectamento, tum auxilio, ut mirificè ſe refocillari perciperet ab ea bibendi ratione. Itaque jam quartus labitur annus, ex quo in formidatum ſanguinis rejectamentum, lenita ſuccorum acrimonia, non recidit. Ipſe quin etiam refloruit menſtruorum curſus, vel vitio ſuo, vel ætate antea languidus, ac exareſcens. Nimirum, ut parvæ res ſæpè magnorum morborum ſunt cauſæ, ita parva remedia interdum liberant a magnis morbis. Sed præcipuè in hoc eventu elucet, quam tenui mutatione inſalubris potus ad ſalubrem convertatur, dum

eadem aqua frigidè hauſta, vel tepidè, nocet, præcalida ſanat. Magnum etiam latere in hauſtu calido myſterium ad retexendas ſanguinis, & mucorum coagulationes, ſubinnuere viſus eſt Hippocrates, dum ad anginam calidos gargariſmos præſcribit, & ſpongiis mollibus ex aqua calida expreſſis jubet collum fovere, ſubjicitque: *Bibat autem æger aquam, & aquam mulſam non frigidam* [a]

In morbis pectoris utendum eſſe potu calido ferè publica Medicorum vox eſt. Suſpectus quoque apud Galenum [b] frigidæ uſus in febribus ipſis, & tam anxie cautus eſt in ea porrigenda, ut negare videatur; vult enim viſcera omni obſtructione carere; vult apparere prius ſigna coctionis, ægrum eſſe in ætatis flore, tempus æſtivum, ipſam febrim jam inclinare: tot autem conditiones raro in ægris reperias. Intelligebat nimirum Vir peritiſſimus, potu frigido lædi coctiones, denſari ſuccos, crudeſcere cauſam morbi. Major Galeno Hippocrates, *febrienti*, [c] inquit, *potus ſit aqua calida*; & Celſus, qui Grææ, ac Romanæ medicinæ fontes recluſit, multus eſt in potu Calido tum Aquæ, tum Vini, ſive tractet morbos renum, ſive inteſtinorum, & pectoris. Nec ſatis mente aſſequi poſſum, cur pectori laboranti conveniat calide bibere, ceteris autem viſceribus afflictis non conveniat, ubi præſertim ſucci non peccent tenuitate, ſed fixatione. Si utilis eſt pulmoni potus calidus ad concoquendos catharros, & expellendos, cur alibi ceſſet? Nonne iiſdem vaſculis, & humoribus omnes partes conſtantur, & irrigantur? nonne ex Hippocrate minima

a *De Vict. rat. in acut. 39.* b *9. Meth. in cap. 5.* c *de loc. in hom. 39*

nima pars habet eadem, quæ & maxima?

Idem Hippocrates reddens rationem poſteris, cur præſcribat in febribus Aquam Calidam, ita loquitur: [b] *Si enim non frigidus ingreſſus fuerit potus, calidus exiſtens, ac manens, ex corpore ægroto detrahet & vel per urinam ejiciet, vel exſudabit. Undequaque autem apertum, & reſpirans, ac motum corpus, quod conducibile eſt faciet.*

Hoc oraculo nullum præclarius ad regendos ægros; ſed neſcio quo pacto ſæpe negligitur, non culpa Medicorum, ut reor, ſed ægrotantium, qui malunt blande bibere, quam ſalubriter. Rectè Martianus noſter Saxolenſis, [c] *Medicamentorum*, inquit, *refrigerantium uſu incraſſatis humoribus, corporibuſque denſatis, ſpontineæ evacuationes ſæpe probibentur; ut hæc non ſit levis cauſa, cur noſtris temporibus tam raro fiant criſes, quæ frequentiſſimæ erant antiquis.*

Expertus ſum in febribus etiam malignis, Aquam Calidam copiosè ſumptam plus elicuiſſe ſudoris, quàm quemcumque pulverem bezoarticum: ubi verò vires exigerent, parum Vini multæ aquæ admiſcebam, cum præclara utilitate. Ut autem æſtuantem ſanguinem Aqua Calida tutius interdum obtundit, quàm frigida, ita torpentem felicius excitat Vinum Calidum, quàm frigidum; rota enim digeſtionis, quæ in Stomacho eſt, promptius ſe voluente, reliquæ quoque ſpirituum, & ſanguinis expeditè magis moventur, atque ſalubriter.

Non deſunt tamen potioni aquæ frigidæ opportunitates ſuæ, ſed cum rara ſit febris, cui non inſit lenti aliquid, & crudi humoris, per quem ſecerni

a *De loc. in hom.* b *De loc. in hom. n. 39.* c *2. de morb. ſect. 2. verſ. 194.*

cerni vetantur acria corpuſcula , tranquillitatem ſanguinis perturbantia, iſti lentori ſuperveniens Aqua Calida remedio eſt, cum & fluxum illi conciliet, & ſales demat coagulationis opifices, per urinæ, aut ſudoris vias deportandos: ipſæ moleculæ ſeditioſæ ingenio Aquæ Calidæ mitigantur, & per eoſdem tramites abductæ, paulatim a tumultu, & labe ſanguinem liberant.

Ab Aqua veró frigida intumeſcunt ſæpe hypocondria: & obſtructiones, ſi quæ ſunt, altius ſiguntur, ut refrigerium ipſum naturæ allatum in noxam deſinat. Ratio hæc medendi frigidè ſecum ipſa depugnat; præbet enim ægro cibum liquidum actu calidum, ut facilius concoquat, dein quaſi pœnituerit conſilii ſui, Aqua frigida coctionis organum obruit.

Itaque bibentes Calidè modo Vinum, modo Aquam, juxta indolem morbi, plus proficient pauperculi tui, quàm ſi medicamentis ſaturarentur, febres divitum longa ſerie comitantibus.

Sed nolim prolixius abuti patientia tua. Vale.

Illu-

Digitized by Google

Illuſtriſſimo, & Doctiſſimo Viro

JOHANNI BAPTISTÆ DAVINIO

Sereniſſimi Ducis Mutinæ Medico

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS.

S. P.

TE certe urgeo, atque urgere non deſinam, Davini ſapientiſſime, ut quæ de *Potu Vini Calidi* tam ſubacto judicio, ſtyloque adeo concinno jam commentatus es, in apertum diem erumpere tamdem ſinas. Amo Patriam meam, Cives meos; eorum gloriam meam puto; & quando tot Viros in Arte quoque Medica egregios noſtra ætas ac regio tulit, quorum nomen per exteros etiam populos ſonat, & ad ſeras ætates permeabit: patere, ut te unum, qui inter primos es, inglorium amplius non feram. Quod tamen importunum me apud te præcipuè facit, ſpes eſt utilitatis, quam in humanum genus ex lucubratione hac tua effluere poſſe ne tu quidem, quamquam modeſtiſſimus Vir, negabis. Et ſane non tua tantum cauſa heic agitur, ſed Reipublicæ, ad cujus bonum quicumque ſapientiam ac ſcire ſuum conferre poteſt, debet. Eoſdem autem ſtimulos adhibebam ego proxime præteritis annis Clariſſimo Torto noſtro, quem a perficiendo ac evulgando inſigni, ac utiliſſimo Libro de peculiari uſu Chinæ Chinæ, tum contem-

tus

ptus famæ, tum aliæ ratiunculæ impediebant. Vinci ille ſe paſſus eſt: cur tu, una cum illo ad tuendam Principis noſtri valetudinem adſcitus, in commune quoque commodum ſtudia tua, atque experimenta non confers? At, inquies, grandia non promam, & opellam dabo. Opellam hercle, ſed quæ pretio ſuo ſpiſſa nonnullorum volumina ſuperabit. Non eſt ſapientis e mole, ſed ex utilitate, Libros æſtimare. Medicamenta verò tam pauca certò profutura habet Ars veſtra, ut qui unum tantummodo, ſive ad diætam, ſive ad curationem, exhibere poſſit innocentis naturæ, & fructus non contemnendi, is magna præſtet, ejuſque libellus pluris ſit faciendus, quam tot incertorum, atque utinam non noxiorum, apud alios apparatus.

Potus autem Calidi uſus quantum poſſit ad reparandam hominum valetudinem, pauca quidem ſed illuſtria, per te facta experimenta jam ſatis prodiderunt. Sed quoniam nova omnia plerumque ſuſpecta ſunt, atque heic adverſam habemus tot populorum conſuetudinem: recte factum eſt, quod tu ſimul oſtenderis, etiam apud veteres id ipſum in more poſitum fuiſſe. Negabat hoc Mercurialis ævo ſuo inter Italos Medicos præſtantiſſimus; negabant & alii. Verum ea congeſſit antiquorum dicta e penu eruditionis ſuę Lipſius Lib. 1. Cap. IV. Electorum, ut omnem ea de re dubitationem ſuſtulerit. Subinde hanc ſpartam ſibi quoque adornandam ſuſcipiens e noſtris Antonius Perſius, rem plenius confecit Opuſculo, cui titulus *Del ber Caldo de gli Antichi*, edito Venetiis Anno 1593. in quo & Medicum, & Eruditum eo ſucceſſu agit, ut dolen-

dum

dum ſit, ejus Libri exemplaria aut rara nimium eſſe, aut neglecta. Tum hoc idem argumentum Italus alter illuſtravit, nempe Vincentius Butius Libro *De Calido, Frigido, ac Temperato Antiquorum potu*, evulgato Romæ Anno 1653 ut de exteris taceam. Age vero, pauca & in hanc rem adferre mihi liceat.

Fuere olim non ſolum in uſu, ſed & in deliciis, Potiones Frigidæ; fuerunt & Calidæ. De frigidis non eſt qui dubitet. Imo Gelida etiam, hoc eſt per nivem aut glaciem frigefacta, amabatur a multis, Plinio, Athenæo, aliſque teſtibus. Martialem tantum dabo Lib. XIV. Epigr. 117.

Non potare nivem, ſed Aquam potare rigentem
De nive, commenta eſt ingenioſa ſitis.

Quem tamen antiquiſſimum morem noſtris quoque temporibus vigentem, miror cur vos Medicinæ proceres, uno fœdere inito, atque altiori voce non damnetis, & e medio, quantum vobis fas eſt, aliquando non tollatis Quis enim vel e Medicinæ tyronibus neſciat, varia inde & gravia in hominum valetudinem, aut illico, aut ſenſim, emanare incommoda, quum contra nihil certæ utilitatis afferri poſſit?

Et hoc quidem veteribus non incompertum, neque diſſimulatum. Quare complures erant, qui non ſolum Gelidas, ſed & Frigidas Potiones averſati, Calidas adoptarunt. Ad ſanitatis tutelam primum, ut reor, excogitatus hujuſmodi uſus, in delicias tamdem abjit, uti ex Plauto, Martiale, aliiſque conſtat. Sola autem Aqua ad ignem calefacta contentos olim fuiſſe non paucos utique cre-

dam; attamen ſimul contendo, quum *Calidæ*, *aut Caldæ* mentio apud Antiquos occurrit, Aquam plerumque ſignificari, non quæ ſola potaretur, ſed quæ ad Vinum merum temperandum æque atque calefaciendum adhibebatur. Quis enim puram Aquam, licet calefactam, in deliciis habitam facile ſibi perſuadeat, niſi ad ipſam acceſſiſſet aliquis alterius rei, aut liquoris ſapor? Juvenali Sat. V. memoratur *Calidæ*. *Gelidæque miniſter*. Martialis quoque non uno in loco, Arrianus, Lucianus, Seneca, at que alii, *Calidam*, ſeu *Caldam* expetitam in menſa ajunt. At ex ipſius Martialis Epigr XI. Lib. I. conſtat, Calidam hanc immiſceri ſolitam Vino. Illius ſunt verba:

Jam defeciſſet portantes Calda miniſtros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

Quibus ex verbis edocemur, Calidam plerumque Vino adjunctam, ſimulque vulgarem fuiſſe olim Vini Aqua fervente calefacti uſum, quando ad convivas fere omnes extendebatur. Audi & Apulejum Lib. II. Metamor. *Calices*, ait, *bini jam infuſo latice ſemipleni, ſolam temperiem ſubſtinentes*. En Calices Vino ſemiplenos, expectantes ex lege Temperantiæ Calidam, quæ ſuperfunderetur, & generoſi laticis ſpiritum enervaret. Et revera mox meminit idem Scriptor *Aquæ Calidæ deſuper injectæ*; ſeque *Vino*, quod ſorbillarat, madefactum fatetur. Iterum Martialis Lib. II. Epigr. I. Librum ſuum alloquens, ad eumdem morem alludit his verbis:

Te conviva leget mixto quincunce, ſed ante
Incipiat poſitus quam tepuiſſe calix.

Hoc eſt, antequam Vinum Aqua fervente dilutum & mix-

Digitized by Google

mixtum calices primo, tum convivas calefaciat atque exhilarat, legendus eris. Habemus etiam in Anthologia Græca Lib. II. Cap. XXXV. Nicarchi Epigramma in Vas, quo *Aqua caleſit*, mox bibenda. *Miliarium* appellabant veteres.

Atque hic quidem fuit illorum temporum frequentior uſus. Attamen addo, occurrere in Antiquorum Libris quæ ſuadere videantur, nonnullos extimuiſſe, ne Bacchus iraſceretur, ſi in Vinum Aquam infuderent, quamvis Calefactam; ac proinde iſto, & quidem mero, ſed prius ad ignem fervefacto, libentius uſos. Certe nulla interdum *Calidæ* immixtę mentio occurrit, ſed unius Vini. Martialis Lib. XIV. Epigr. V.

Si Calidum potas, ardenti Myrrha Falerno
Convenit, & melior ſit ſapor inde mero.

Nempe Vinum fervens in poculis Myrrhinis ebibi ſolebat, quo, & ſapor amarus, & odor ſuavior latici infuſo accederet. Unum autem *Merum* Poeta heic innuere videtur, ut & alibi Lib. X. Epigr. XIII. quum ait:

Candida Setini rumpant cryſtalla trientes;

interdum enim vitrei calices fervore Vini calefacti frangebantur. Alia etiam cauſa fuit, cur Myrrhinis Cyathis uterentur antiqui: videlicet quod ebrietatem ſuo odore arcere, aut minuere crederentur. In hanc rem egregie concinunt, quę Athenęus Deipnos. Lib XI. habet. *Me quidem*, ſunt ejus verba, *non latet, ſæpius eſſe jucundiſſima fictilia pocula, ut quæ nobis pretioſa ſunt advecta ex Copto. Subactâ cum odoribus terrâ ea coquuntur. Ariſtoteles Libro De temulentia: Quas ollulas, inquit, Rhodiacas nominant, &*

 volu-

voluptatis gratia afferunt in convivia ; *eo quod excalfacto Vino bibentes* ; *minus ut inebrientur efficiunt* . Et infra : *Idem in ejuſdem Libri alia parte ſcribit* , *Rhodiacas ollulas fieri Myrrha* , *odorati junci flore* , *croco* , *balſamo* , *cinnamomo* , *amomo cum argilla ſimul coctis* . Vides & heic memorari *Vinum calefactum* . Utrum hoc Merum fuerit igni prius admotum , an Aquâ fervida excalefactum , affirmare non auſim . At certe quum Suetonius , & Aurelius Victor in Vita Claudii Tiberii Neronis narrent , ipſius nomen a joculatoribus lepidè , ac ſalſe inverſum fuiſſe , atque corruptum , ita ut appellaretur *Caldius Biberius Mero* : ægre ſubſcribam Lipſio putanti , heic agi de Vino Aqua Calida diluto . Nempe ridebatur vinolentus Imperator , quod *Mero* delectaretur , ac proinde in ebrietatem abripi ſe facile ſineret . Si Vinum Calida temperatum hauſiſſet , quod vulgare erat , & ab ipſis ſapientibus uſurpatum , minime ſe irridendum præbuiſset . Et ſane temperare Vinum non eſt hominis in ebrietatem proni . Ea vero , quæ tu quoque attuliſti e Plauto , nil de Aqua habent , & ſolum fortaſſe Vinum nobis exhibent ita fervens , ut gutturi amburendo ſat eſſet . *Inebriatos* autem homines ea potione , auctor eſt idem Poeta .

Sed quorſum tot verba ? Ut & ego evincam auctoritate atque uſu antiquorum niti , quæ tu de Vini Calidi Potu diſſeruiſti . Duæ autem cauſæ fuiſſe videntur , cur multi & olim Calidas potiones frigidis præſeferrent . Una voluptatis , altera ſanitatis . Ut enim Calidæ potiones Thè , Caffè , & Coccolatæ temporibus noſtris caro emuntur , & avide hauriuntur , ſive quod delectent , ſive quod

vale-

valetudini prodeſſe putentur : ita & veterum non pauci Calefacti Vini potum amarunt, minime quidem gratum primis hauſtibus, ſed accedente conſuetudine gratiſſimum. Apud Athenæum Lib III. nullo pacto adduci quidam poteſt , ut Calidum bibat, ejuſque verba mox adferam. Eodem quoque Scriptore teſte, Vinum a multis refrigerari ſolitum Strattis docuit in Refrigerantibus, cujus verba hæc ſunt.

Vinum bibere
Calidum numquam is volet, ſed multo magis
In puteo refrigeratum, aut dilutum nive.

Contra ex Antiphane in Aliptria Fabula Feminam quamdam idem Athenæus producit , quæ potiones Frigidas execrata , Calidas tantum conquirit. Ita verò illa:

Maximam Arytænam parate , demerſam in Aquæ ferventis lebetem.
Ego ædepol, quæ libera ac mei juris ſum, Aquam frigidam numquam biberim.

Hinc intelligas, eumdem morem , quo & nos utimur , ſervaſſe veteres ad calefaciendam Aquam, ſive etiam Vinum, quibus utebantur ad menſam. Arytænam, hoc eſt lagenulam, ſive aliud vas fictile, Aqua Vinove plenum, in lebetem Aquæ æſtuantis demergebant, quouſque & ipſum ferveret.

Calidas vero potiones ſive Aquæ , ſive Vini, Sanitatis quoque cauſa in uſu fuiſſe olim , tum ad curandos , tum ad præcavendos Morbos; tu ſatis oſtendiſti, oſtendam & ego. Luculenta ſunt in hanc rem, quæ ſupra laudatus Athenæus adfert ex Eupolide in Populis ita ſcribente:

Abenum calſacere nobis aliquem, & Aquam
Jube ferveſcere, viſceribus ut auxiliemur.

Quod tibi, doctiſſime Davini, animos addidit, ut Vini Calidi potum palam commendandum ſuſciperes, atque in uſum revocares, utilitas fuit certis experimentis a te perſpecta, dum tibi feliciter adeo ſucceſſit illorum curatio; quorum *Viſcera* pravis affectionibus laborabant. Nunc vides non ignotum antiquis hunc curationis modum, quandoquidem *Caliaâ*, ea que, ut puto, Vino infuſa, *Viſceribus* male affectiopem ferebant. Attamen, ut hinc omnem dubitationem amoveamus, audi & Antiphanem in Omphale, cujus verba ſervavit nobis idem Athenæus Lib. III. Sunt hominis Calidas potiones peroſi, & Frigidas tantum amantis.

Aquam in olla mibi qui fervefaciat, neminem aſpicere ſuſtinebo;
Non enim ma'e valeo; & Dii faxint, ne male valeam. Verum
Si tormina circa ventrem, & umbilicum cruciarent,
Adeſt a Phertato mibi dracbma emtus annulus.

Ideſt, annulum mihi comparabo, cui eſſe virtus dicitur hujuſmodi morbos depellendi; ſive, ut alii legunt apud Caſaubonum, *Medicus adeſt optimus mibi digitus*, quo ad vomitum provocatus, ab ejuſmodi incommodo levabor. Bene ſit huic potionum Calidarum inimico, ut qui ſaltem certos nos facit, ipſarum uſum iis potiſſimum fuiſſe in honore, quibus ilia dolerent, & valetudo parum proſpere procederet. Scilicet animadverterant eximii illorum temporum Medici, quantum vigoris potui Calido inſit, ad pigros Corporum humores in curſum excitandos, cru-

doſve

doſve concoquendos, unde pullulant tot hominum morbi. Animadverterunt etiam, ad inflationem Stomachi ſalutarem poſſe eſſe hunc uſum. Quod quum nuper legiſſem apud antiquum Latinorum Hippocratem, induxi in animum & ego experiri, an ita ſe res haberet, quando ad cetera valetudinis meæ incommoda iſtud quoque ab aliquot menſibus acceſſit. Ecce Cornelii Celſi verba Lib. IV. Cap. V. *Cibis deinde calidis opus eſt, neque inſtantibus; eodemque modo Calidis Potionibus, primo Aquæ, poſt, ubi reſedit inflatio, Vini auſteri.* Ego ſolo fervente Vino, Aqua tamen diluto, hactenus ſum uſus, & in poſterum uti pergam. Si quidquam proderit, poſt paucos menſes, dum vita ſit, tibi ſinceriſſime prodam.

Ad diætam quod attinet, hac etiam de cauſa uſurpatas olim Calidas Vini aut Aquæ potiones reor, ab iis ſaltem, qui ventriculo parum ad ſua munia ſolicito utebantur. In Libro de Vita Contemplativa longum ſermonem de Therapeutis habet Hebreorum doctiſſimus Philo. Quid foret hoc hominum genus, Judæine, an Chriſtiani, diſputatur adhuc inter Eruditos. Sed quod certum eſt, ſobria admodum, auſtera, & ab omnibus deliciis aliena fuit illorum vita. Vinum non attingebant, quippe quod habebant pro veneno afferente dementiam. *Aqua vero limpidiſſima præbebatur; multis Frigida, Calida vero his, qui inter ſeniores tractantur delicatius* En ut Stomacho, vergente in ſenium ætate, debilitato opitularentur olim vel hominum temperantiſſimi Idque ſapientum uſu tritum conjicere licet ex Eunapii Sardiani verbis in vita Proæreſii

reſii celeberrimi Eloquentiæ Profeſſoris Seculo Chriſtianæ Æræ Quarto, quo & ipſe Eunapius floruit. Quum in Gallias accitus fuiſset a Conſtante Cæſare ille Oratorum facile Princeps, mirabantur homines ſingularem ejus temperantiam, *eumque judicabant affectibus vacuum, ac ferreum prorſus, quòd lacerna extrita & obſoleta utens, atque incalceatus, Gallicas hyemes & frigora in delicias converteret, Rhenumque tantùm non glaciatum biberet : qua certe ratione totum vitæ curriculum exegit, Calidas potiones numquam expertus*. Quod frigida Aqua, ac pæne Gelida uteretur Proæreſius, neque Calidum umquam potaret Vir tantus, monſtro proximum videbatur Eunapio, ceteriſque, quibus ea vivendi ratio nota fuit. Quid autem aliud hoc eſt, quam tacite innuere, uſum Calidi Potus ſapientibus fere omnibus familiarem tunc fuiſſe, & non alia de cauſa, quam quod Frigidum bibere Stomacho noxium, aut periculoſum, Calidum verò utile crederetur ad ſanitatis tutelam?

Quare jam intelligas, cur Butius de Pot. Antiquor. Cap. 7. & 8. in hanc ſententiam ſcripſerit, Aquam ad ignem calefactam, *ad ſanitatem primo inſtitutam fuiſſe, & præbitam hominibus ægris & infirmis, ſenibus delicatioribus, iiſque, qui iter magnis in frigoribus faciebant, deinde etiam in communem uſum deductam, potiſſimum ab Orientalibus Populis, ac frigidi temperamenti hominibus, quorum Stomachus Calido fomento egebat, iiſque etiam, qui imbecillioribus cibariis utebantur, ac jejunio carnem caſtigabant*. Iterum autem memineris, quum *Calda* in antiquorum Libris occurrit, non excludi uſum Vini, quocum ipſa plerumque miſcebatur.

Digitized by Google

batur. Sed quando Orientalium Populorum facta eſt mentio (quod & tu commemoraſti) liceat mihi in hoc idem argumentum derivare, quę Nicolaus Trigautius e Societate Jeſu adfert ex Commentariis Matthæi Riccii, incomparabilis nempe illius Viri, qui primus, ut ita dicam, ex Italis Evangelio aditum aperuit apud Sinas. Hęc habet Scriptor ille de Sinenſium Ritibus Lib. I. Cap. VII. Expedit. Chriſtianę: *Potu utuntur ferventi, etiam in ſummo æſtu, ſive ille Vinum ſit, ſive decoctio Cià* (hoc eſt, ni fallor, herbę Theę) *ſive Aqua. Et ſane videtur id Stomacho prodeſſe non parum: nam & Sinæ fere diuturnioris ſunt vitæ, & ad annum ſeptuageſimum, ac ſæpe octogeſimum, viribus non admodum deſtituuntur. Hinc quoque evenire arbitror, quod Sinarum nemo calculari morbo laboret, qui noſtros Europæos ſæpæ torquet, ex eo credo, quod perpetuo Frigidum potent.* Novi & ego laudari in Schola veſtra hauſtum *Calidæ* ante prandium ad diſſipandam calculorum officinam: quod & amico meo contigit, qui poſtquam hujuſmodi morbo per aliquod tempus laboraſſet, facili hocce remedio liber ita evaſit, ut nullam inde moleſtiam amplius ſenſerit. At qui ad pręcautionem hujus aliorumque morborum, Calidum potum ſuadeat, noſtris temporibus vix invenias. Et tamen ad dię tam bene inſtituendam quantum conferre poſſit hi: uſus, ex uno Sinenſium exemplo ſatis elucet, Nationis nempe ad miraculum populoſę, ut quę Europęos Populos numero ſuo pæne æquare videatur, & Japponenſes, aliaſque Nationes in eo ritu ſibi conſentientes habet

Certe nolim ſibi perſuadeant homines, Vini Cali-

Calidi potum ad omnes morbos inteſtinos tum curandos, tum cavendos, vim inſitam habere; nolim putent omnibus utilem, nedum neceſſarium illius uſum. Ut circulatoris eſſet tanta polliceri, ita & credere hominis parum cauti. Tu quoque pro tua modeſtia ac ſapientia non omnibus commendaſti, ſed iis ferme, qui pravis viſcerum affectionibus laborant, & Stomachi debilis incommoda ſentiunt. Neque vero deerunt, qui putent, Frigidum bibere (dum abſint glacei ac nivis venenatæ deliciæ) multorum ſanitati utilius, & præcipue Stomacho robuſto, & fermento valido utentium, atque æſtivo potiſsimum tempore. Solicite etiam perpendendum contendent, an Calidæ potiones, dum ex una parte proſunt, ex altera lædere poſsint. Periculum quippe ſubeſſe, ne hinc membranis fibriſque Stomachi obveniat laxitas & mollities quædam noxia, totique Oeconomiæ corporis incommoda alia parentur. Nam ut ut plerique ad balneorum uſum nimis frequentem referant, & de Calore immodice dumtaxat adhibito fere omnes accipiant, quod Hippocrates veſter ſtatuit Lib. V. Aphor. XVI. iis verbis: *Calidum, ubi quis ſæpius eo utatur, hæc mala adfert, carnium effeminationem, nervorum incontinentiam &c.* attamen quem vadem in poſterum dabimus, nullum a continuato Vini Calidi potu hominum ſaluti detrimentum creari poſſe? Frigidum ipſum ad ventriculi membranas roborandas, nimiumque interdum illius ardorem temperandum, ſi non certo, ſaltem veriſimili conjectura aptum, & quandoque neceſſarium credere liceat. Quod ſi Calidum potant Sinenſes, contra tot alii Populi Frigidis tantum

potio-

potionibus delectantur, & bene valent, & majori fortaſſe corporis robore fruuntur.

Verum hæc nihil te abſterrere debent, quin ad diætam quoque utilem putes, aliiſque ſuadeas Vini Calefacti uſum. Sunt enim & ſua incommoda, eaque non raro graviora, Frigidum bibentibus, Hippocrate ipſo teſte in ſubſequentibus Aphoriſmis; & quidquid excogitare nos contra Calidi potus uſum poſſumus, id totum bona Sinenſium valetudo, & longævitas inane eſse, aut parvi pendendum ſatis oſtendit. Ceterum habeo, quod tibi ſummopere gratuler, Davini amantiſsime, nempe tuo ſaltem ſtudio factum eſse, ut de efficaci virtute Calidi Vini ad curandos quoſdam ſæpe indomitos viſcerum morbos vix amplius ſit dubitandum. Tua hæc eſt induſtria, tua eſt laus, revocaſſe in uſum, quod Majores noſtri tamdiu, nec ſine culpa, neglexerunt; tibique a ceteris Medicis, imo & ab ipſa Republica, idcirco gratiæ habendæ. Quod ſupereſt, in publicum tua prodire jam ſinito. Diſcent alii, te duce, exornare novis experimentis remedium facile, innocens, ſuave, aut ſaltem explorare, quouſque protendantur ejus vires. Hoc non minus eruditioni Scholæ, quam publicæ rei, conducere plurimum poteſt. Vale.

Mutinæ IV. Non. Martii MDCCXX.

Digitized by Google

Errata	*Corrige.*
Pag 3. l. 5 mendicamenta	medicamenta
Ibidem l. 12. attritæque	attritæque
Pag. 6 l. 29. iteneris	itineris
Pag. 8. l. 18. merificè	mirificè
Pag. 32. l. 20. ſed morbus	ſed morbos
Pag. 42. l. 22. p rerato	p rerrato
Pag. 45. l. 3. acceſus	acceſſus

Errori	*Correzioni*
Pag. 5, linea 19. con pericolo	corra pericolo
Ivi l. 20. circolatore	circolatori
Pag. 7. l. 30. ptr	per
Pag. 10. l. 10. ſabricitanti	febbricitanti
Pag. 12. l. 27. il il	il
Ivi l. 30. ma	non
Pag. 13. l. 17. oltreamirabile	oltremirabile
Ivi l. 23 tornanano	tornano
Pag. 15. l. 10. machina	macchina
Pag. 16. l 1. non non	non
Pag 17. l. 19. che deſidera	che ſi deſidera
Pag. 20. l' 17. andarivieni	andirivieni
Pag. 25 l. 16. Halis	Haly
Ivi l. ultima toſſica	topica
Pag. 27. l. 27. slongamento	slogamento
Pag. 28. l. 16. Sengue	ſangue
Ivi l. 17. pur nuoce	e pur nuoce
Pag. 29. l. 19. da digiuno	a digiuno
Pag. 32. l. 9. aiſcorrere	conchiudere
Pag. 33. l. 7. arridiſſima	aridiſſima
Pag. 35. l 10. tieqida	tiepida
Ivi l. 23. arridiſſime	aridiſſime
Pag. 42. l. 4. cativo	cattivo
Pag. 45. l. 11. è tanto	ed è tanto
Pag. 47. l. 2. tepida	tiepida
Ivi l. 29. concolta	concotta
Pag. 47. l. 29. nam	non
Pag. 48 l. 25. enripinntur	corripiuntur
Pag. 49. l. 9. che però	ma che però
Pag. 50. l. 13. sbarbicherà	ſi sbarbicherà
Pag. 51. l. 6. raggioni	ragioni
Pag. 55. l. 2. forta	forte
Ivi l. 25. sbuccare	sbucare
Pag. 65. l. 15. portatoſſi	portatoſi
Pag. 67. l. 14. Pcottettori	Protettori
Pag. 80. l. 2. piangono	piangano
Ivi l. 3. celebrano	celebrino
Pag. 89. l. 2. bevano	bevano
Pag. 107. l. 8. ſi	li